Scholæ Rhetoricæ,

DE
CONTEXENDARVM
EPISTOLARVM
RATIONE

MELCHIORIS IVNII Vvitebergenſis, Eloquentiæ in Argentinenſi Academia Profeſſoris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BASILEÆ
per CONRADVM VVALDKIRCH
CIƆ IƆ XXCVIII.

Illuſtriſsimis Principibus ac Dominis: Domino

IVLIO ERNESTO: & Domino FRANCISCO Ducib. Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus; Dominis ſuis clementiſsimis

MELCHIOR IVNIVS S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SCholis ego aliquot Rhetoricis, Illuſtriſs. Principes, Domini clementiſsimi, cõtexendarum Epiſtolarum rationem, paucos ante annos, auditoribus meis, e-

loquentiæ ſtudioſis, indicare conatus ſum. Neque hoc me ab inſtituto deterruit: quòd genus illud ſtudij totum leue fortaſsis, atque minutulum quibuſdam eſſe videtur: quòd multi, ſpreta certa ratione: neglectis præceptis: omni exẽplorũ, cùm obſeruatione, tùm imitatione poſtpoſita, laudem tamen non in ſcribendo nullam conſequuntur: quòd puerile, cum ex tempore, & non quæſito, ſed oblato ſæpè argumento, per literas cum aliis agendum, ad præcepta, vel exempla confugere: quòd deniq; ſi quæ poſtuletur ars, ei qui à rhetoricis eſt probè præceptis inſtructus, etiam Epiſtolas ſcribere minimè difficile ſit. Vt enim latere alia nunc patiar, quæ de epiſtolarum adferri vtilitate, & verè, & copioſè poſſent, quis, vt momenti, aut nullius, aut exigui illud cõtemnet: quod in omnes vitæ humanæ ſeſe lõgè lateq; partes

tes

tes profert, atque efficit: vt qui locorum ſunt interuallo diſiuncti, inter ſe tamen colloquãtur, eademq́; ferè abſentes, quæ ſi coràm eſſent, conſequantur: commendent amicos: in viam quaſi aberrantes reducãt: aduerſa preſſos fortuna erigãt ac ſolentur: præſtent alia, quæ literis credi committiq́; ſolent: atque ita præſtent, vt rei ipſius, qua de agitur, ratio habeatur: ſpectetur tempus: perſonæ conſiderentur: non negligãtur cætera, ſine quibus, id quod difficile, decorum retineri nullo modo poteſt? Artem verò quis aſpernabitur: parui aut nihili exempla faciet: nullo imitationem loco numerabit: niſi iſtud qui ignorauerit, quemadmodum omnibus in rebus aliis, ita epiſtolis quoque hoc illa præſtare: vt facilius, rectius, felicius, quæ fieri neceſſe eſt, fiant: non niſi diuturna, cùm obſeruatione, tùm exercitatione habitũ pa-

rari atque impetrari: vt, etſi tum, cùm in manum eſt calamus ſumendus, ad ea non confugiamus, non tamen malè ineptéque ſcribamus: veluti concitato nauigio, etiam remorum impetu atq; pulſu remiſſo, nauim nihilominus ſuum retinere curſum: propter contractum iam habitum ſine ſingulorum modorum obſeruatione, ſcitè Muſicos modulari: carmen condere bonum Poetas videmus, qui puerorum more, in ſyllabis examinandis nõ ſunt occupati? Nam ad Rhetorica præcepta quod attinet, licet illorum in Epiſtolis exarandis vſum eſſe magnum inficias nemo ire queat. tamen & hoc haud, opinor, grauatè omnes concedent: παρατηρήσει, obſeruatione adhibita, non pauca reperiri, quæ Epiſtolarum ſunt propria: & neque ad orationes referri poſſunt: neque à dicendi magiſtris in rhetoricis traduntur.

Hiſce

Hiſce ergo cauſis adductus, Ciceronis ex Epiſtolis familiaribus omnibus certas in claſſes diſtinctis eloquentiæ ſtudioſis oſtendere conatus ſum: primùm quænam in ſingulis contexendis literis probantia, mouentia, conciliantia argumenta adhibenda. Deinde cuiuſmodi horum collocatio et tractatio inſtituenda. Tumprimis quaſi lineis ductis, quo pacto, quæ apud Ciceronem inueniuntur, hoc noſtro tempore imitando ſint exprimenda, atque effingenda, ita, vt tecta, non aperta: non ſeruilis, ſed libera fiat imitatio: in ipſa quoque ſimilitudine diſsimilitudo aliqua deprehendatur. Verùm oſtendere iſta conatus ſum tantum: præſtare quæ volui, non potui. Conatum tamen hunc quantulumcumque meum boni, vti ſpero, eloquentiæ ſtudioſi conſulent. Sed & Vos illuſtriſsimi atq; ſereniſsimi Principes,

Domini clementiſsimi, ea qua par eſt obſeruantia, rogo; illud clementer accipere dignemini: quod veſtro illuſtri inſcriptas ac dicatas nomini, Scholas haſce meas apparere, inq́; hominum venire manus volui. Scio equidem, dignas eas non eſſe, quæ lucem aſpiciant: neque aſpicere quoq; paſſus fuiſſem, niſi amici nonnulli, & ſtudioſi quidam hoc à me adoleſcentes petiiſſent. Noui & illud: longè maiora atque præſtantiora ea eſſe oportere, quæ tam celſo illuſtriq́; natis loco inſcribenda. Veruntamen quò minus iſtud quod facio, facere dubitarem, fuerunt, quæ me mouerũt, plurima. Vos enim ſingulari hactenus me complexi clementia eſtis: vt meæ viciſsim erga Vos obſeruantiæ aliquod flagitari argumentum videatur. Vos vnicè literas amatis, iiſdemq́; & generis atque familiæ decus ornare magis: & parare ea

ſtudetis,

ſtudetis, ſine quibus rectè vtiliterq́ imperij tractari gubernacula nequeunt. Vos ita cum reliquis ſtudiis Ciceronis lectionem, ſtyliq́ coniungitis exercitationes ſedulò ac feliciter: vt cùm hoc nomine, tùm multis aliis meritò ſibi gaudeat, qui Vobis adiunctus D. BERNHARDVS RVLOVIVS: *vir literatus: præceptor fidus: moderator diligens: gratuler ego antiquiſſimæ atque illuſtriſſimæ domui Lunæburgenſi.* CHRISTVM *deniq Optimum Maximum precer: lucis huius diuturna Vos vſura donare: ita quoq porrò ſtudia Veſtra Spiritu gubernare ſuo dignetur: vt egregium aliquando in Vobis, non ſubditi modò, verùm etiam alij paratum præſidium habeant. Et munuſculum ergo hoc leuidenſe ſerena fronte accipietis, nec Celſitudine Veſtra, ſed donantis animo æſtimabitis: & quod*

ſummiſſe peto, ſolita me clementia proſequemini. Valete Illuſtriſſimi Principes, Domini clementiſſimi. Argentinæ decimoſeptimo Calendis Auguſti. Anno recuperatæ per CHRISTVM *ſalutis*
M. D. LXXXVII.

Index Epiſtolarum, de quibus huius in libelli agitur

PARTE I.

De Commendatitiis Epiſtolis. pag. 1.
De ratione reſpondendi ad aliorum Epiſtolas commendatitias. 15
De modo gratias agendi iis, qui comendatos à nobis amicè humaniterq; tractarunt. 20
De Cohortatoriis Epiſtolis. 24
De ratione reſpondendi ad literas aliorum cohortatorias. 37
De Suaſoriis epiſtolis. 42
De Diſſuaſoriis epiſtolis. 45
De ratione reſpondendi aliorum literis ſuaſoriis, aut diſſuaſoriis. 50
De Petitoriis epiſtolis. 54
De ratione reſpondendi ad aliorum literas petitorias. 64
De ratione agendi gratias iis, qui precibus noſtris locum reliquerunt. 70
De Communicatoriis Epiſtolis. 73
De ratione reſpondendi ad aliorum literas communicatorias. 80
De Conſolatoriis Epiſtolis. 89
De ratione reſpondendi ad literas aliorum conſolatorias. 100
De Officioſis Epiſtolis. 105

De ratione reſpondendi ad literas aliorum officioſas. 113
De Conciliatoriis epiſtolis. 116
De Mandatoriis Epiſtolis. 124
De Diſputatoriis Epiſtolis. 128

PARTE II.

De Gratulatoriis epiſtolis. 133
De ratione reſpondendi ad aliorum gratulationes. 144
De Gratiarum actionibus. 149
Ratio reſpondendi ad aliorum gratiarũ actiones. 156
De Nuncupatoriis, ſeu Dedicatoriis epiſtolis. 160
De ratione reſpondendi aliorum dedicatoriis. 171
De Laudatoriis epiſtolis. 173
De Reprehenſoriis epiſtolis. 206

PARTE III.

De Accuſatoriis, ſeu expoſtulatoriis epiſtolis. 223
De ratione reſpondendi aliorum literis Expoſtulatoriis, ſeu Accuſatoriis. 232
De ratione reſpondendi ad aliorum purgationes. 245
De Querulis & Indignatoriis Epiſtolis. 246

De

De ratione reſpondendi ad aliorum querelas. 257
De Comminatoriis epiſtolis. 269
De ratione reſpondendi ad minaces epiſtolas. 273

PARTE IIII.

De Nunciatoriis epiſtolis. 277
De ratione reſpondendi ad aliorum literas Nunciatorias. 294
De Denunciatoriis epiſtolis. 301
De Ænigmaticis epiſtolis. 308
De Iocoſis & Faceris epiſtolis. 313
De ratione reſpondendi ad aliorum iocoſas & facetas Epiſtolas. 323
De Didaſcalicis epiſtolis. 326

FINIS.

DE RATIONE CONTEXENDARUM EPISTOLARUM

Pars I.

DELIBERATIVI GENERIS: ET QVIDEM PRIMO COMMENDATITIAS EPISTOLAS CONTINENS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRinceps inter Epiſtolas ijs maximè deberi locus videtur, quę ad Deliberatiuum referuntur genus, propterea, quòd nihil vel honeſtius, vel vtilius, vel neceſſarium magis, quàm de nota, quod aiunt, meliore eos quos charos habemus, cômendare: à turpitudine ad honeſtatem flectere: ad utilitatem traducere à damno: rogare:

De Deliberatiui generis Epiſtolis cur primo loco agatur.

conſolari:ſuadere iiſdem aliquid,aut diſſuadere: officia deferre: mandare atq; iniungere: conſilia noſtra exponere, ac viciſsim eorundem exquirere. Itaq; & nos contexendarum Epiſtolarum breuem indicaturi rationem, de iiſdem priore loco agemus: & quidem initio ab illis facto, quę συστατικαὶ à græcis, à latinis commendatitiæ appellantur,quia σύστασιν commendationem continēt eorum, quorum nomine, vel officij, vel beneficij quid ab amicis petimus. Eſt enim hoc,& vſitatum maximè, & ſimul periculoſum epiſtolarum genus.Neq; temerè poëta monet:

Commendatitiæ Epiſtolæ.

Qualem cōmendes etiam atq; etiā aſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

In Commendatitiis Epiſtolis quæ cōſideranda.

Conſiderandæ ergo primū ſunt iis,qui prudenter,eruditè,decorè, commendare alios volūt,perſonæ:quis ſcilicet, quem, cui commendare velit. Deinde res ipſæ perpendendæ,propter quas commendationes tales inſtituuntur: iuſtæ ne ſint & honeſtæ: aut utiles: aut faciles: an verò contrario ſeſe modo habeant. Tum finis ſpectandus,qui eſt,vt is,qui cognitus antè commendatusq; non fuit amico, charus eidem acceptusq; fiat,& quod vult ac petit,impetret.Poſtremò etiam de ἐννοίας ſenten-

ſententiis & argumentis eorundemque collocatione artificioſa & varia eſt cogitandum. Sunt autem argumenta hîc adhibenda primum δεικτικὰ docentia & probantia, eaq; ſumenda vel à rei ipſius, qua de agitur, honeſtate & æquitate: vel facili & δυνατῷ: vel vtili, & gratitudinis eorum quos commendamus pollicitatione: vel eiuſdem antè nobis præſtitis beneficiis: vel noſtro aliorumq; exemplo: vel teſtimonio, iudicio, autoritate magnorũ virorum: vel interceſsione atq; precibus amicorum. Deinde ad πάθη animorum motus quod attinet, reperiuntur hîc: ſpes, & metus, odium, & amor, maximè verò miſericordia, quæ excitanda erga pauperes, exules, aduerſa fortuna oppreſſos: ita quidem, vt oſtendatur eandem quoq; aliis, maximè verò iis ad quos ſcribimus metuendam eſſe. Tum & illi qui cõmendationes inſtituere cupiũt, eorum ad quos ſcribunt ſibi & amicis, quos cõmendant conciliare animos neceſſe habẽt: aut laude eorum quibus literas dant cõmendatitias: ſine tamen κολακείᾳ adulatione, & cõmendatione nimis aperta, vel exaggerata: aut modeſta atq; verecunda excuſatione, & expoſitione cauſarum inſtitutæ

Argumenta cõmendationum probantia.

παθητικὰ mouentia argumenta.

ἠθικὰ conciliantia argumenta.

commendationis:aut animi grati perpetuæq; memoriæ pollicitatione: aut amica atq; blanda rogatione: aut præteritione & præciſione: aut πεποιθήσεως fiduciæ & ſpei de amico conceptę ſignificatione.

Collocatio inventorũ argumẽtorũ in ſingulis epiſtolæ cõmendatitiæ partibus.

TRIBUS porrò hiſce ſententiarum atq; argumentorum collectis inuentisq; generibus, etiam οἰκονομία diſpoſitio erit conſideranda, ac videndum; quæ quibuſnam maximè in partibus, locum habeăt. Sunt autem quinq; potiſsimum commendatitiarum epiſtolarum partes: quarum prima Exordiũ, Vel ἀφηγήσει conſtat ἐπιδεικτικαῖς καὶ αἰτιώδεσι narrationibus habentibus cauſas commendationis & perſonarum exornationes, à patria, parentibus, familia, pietate, doctrina, ingenio, virtutibus, familiaritate, neceſsitudine aliiſq; rebus deſumtas: cuiuſmodi in familiaribus Ciceronis epiſtolis exempla reperiuntur. lib.1.epiſt.3.lib.2.epiſt.6. 14.lib.6.epiſt.9. lib.11. epiſt. 16.17.22. lib.12. epiſt. 21.27.29. lib. 13. epiſt. 2.3.4.7.11.13.14. 15.17.18.20.21. 22.26.31.33.34.51. Vel ἐπαναλήψει ὑποσχέσεως repetitione factæ promiſsionis amici.lib. 13.epiſt.6.13.Vel εὐχαριστίᾳ gratiarum actione, cum petitione coniuncta & commendatione noua.lib.13.epiſt.19.Vel παραλήψει

Exordia com mẽdatitiarũ literarum.

præte-

præteritione cauſarum inſtitutæ cõmendationis.lib.12.epiſt.6.lib.13.epiſt.7.22.35. Vel προλήψει occupatione & προθεραπείᾳ præmunitione atque mitigatione quadam, qua intempeſtiuam aut crebrã nimis interpellationem modeſtè excuſamus & ſuſpicionem impudentiæ declinamus.lib.2. epiſt.5.lib. 11.epiſt.16.lib.13. epiſt.5.10.20.23.33.51.Pars altera Narratio eſt, quæ breuem rei ipſius ac negotij, cuius gratia commendatio inſtituitur, ἔκθεσιν expoſitionem continet. lib.7. epiſt.5. lib. 11. epiſt. 16. lib. 13. epiſt. 12. 15.31.35.51. Pars tertia eſt κατάστασις Propoſitio aut directa, facta partim ἀξιώσει petitione. lib.1. epiſt.3.lib.2.epiſt.14.lib.6. epiſt.9. lib.11.epiſt.19.22.lib.12. epiſt.21.26.lib.13. epiſt.2. 3.6.12.15.16.18.21.23.31.33.35.51.64. partim παραθέσει καὶ συστάσει commendatione ipſa. lib.12. epiſt. 27.lib. 13.epiſt. 13.14.22.26.27. 34.64. Aut obliqua & figurata inſtituta pręteritione.lib.12.epiſt.6.29.lib.13.epiſt. 4.6. Vel ἀποφάσει negatione.lib.13.epiſt.17. 19. Pars quarta Cõfirmatio argumẽta cõplectitur, quę paulò indicata antè fuerũt, petita ab honeſto.lib.11.epiſt.19.22.lib.13. epiſt.4.13.15.vel facili & δυνατῷ.lib.2.epiſt. 6.lib.11. epiſt. 16.17.22.lib.13 epiſt. 10.22.13.

Narrationes commendatitiæ.

Propoſitiones commendatitiæ.

Confirmationes commendatitiæ.

Vel vtili. lib.2. epiſt.6.lib.6.epiſt.9.lib.12. epiſt.29.lib.13.epiſt.2.3.4.6.10.13.14.15.16. 18.19.21.23.26.29.34.51.46. Vel beneficiis antè nobis noſtriſq; pręſtitis.lib.13.epiſt. 6.11.12.17.51. Vel exẽplo noſtro, aut aliorũ. lib.12.epiſt.21.lib.13.epiſt.2.4. Vel iudicio & teſtimonio magnorum virorum. lib. 13. epiſt. 4.6. Vel interceſsione & precibus amicorum. lib.3. epiſt.6.lib. 11. epiſt. 16.19.lib.12.epiſt.21.29. Pars quinta & po-

Concluſiones commendatitiæ.

ſtrema Concluſio abſoluitur: Aut ὑποσχέσει τοῦ ἀντιδώρου, ἢ ἀντευεργετήματος, animi grati & remunerationis pollicitatione, ratione interim habita tùm commendantis, tùm commendati, & verecundiæ atq; modeſtiæ in promittendo.lib.2.epiſt.6.lib.6.epiſt.9.29. lib.13. epiſt. 2.3.4.6. 10.13.14.15. 16.17.18.19.21.23.26.33.34.51.64. Aut προλήψει ἀπολογικῇ occupatione, excuſatione, correctione & ſignificatione cauſæ inſtitutæ cõmendationis.lib.13.epiſt.11.16.17. Aut πεποιθήσεως fiducię & ſpei pręclaræ de amico conceptæ indicatione.lib. 2.epiſt. 6.lib.13. epiſt. 6.11. Aut ἀνακεφαλαιώσει ἢ ἀναμνήσει repetitione præcipuorum. lib. 2.epiſt.14. Aut παρασιωπήσει τῆς ἀξιώσεως petitionis præciſione. lib. 2. epiſt.6. lib.11. epiſt. 16.lib.13.epiſt.2.5. Aut ἀνακοινώσει καὶ ἐπαναλή-

ψει τῶν ἀ-

ψει τ ἀξιώσεως petitionis ac commendationis renouatione lib.11.epiſt.17.22.lib.12.epiſt. 21.26.27.29. lib. 13. epiſt. 1.4.5.7.10.15.16.19.22.31.64. Vt verò hæc ipſa apertius, felicius, facilius ad vſum trãsferãtur imitandoq́; exprimãtur, res ipſas atq; materias obſeruare oportet, q̃ in Ciceronis epiſtolis familiarib. reperiũtur. Sunt.n. in illis cõmendationes variæ. Amicorũ generales, vt humanè illi excipiãtur & tractentur. lib.13. epiſt. 3.6.14.20.25.31.32.34.35.39.46.48.52.60.71.74. In fidem, tutelã, patrocinium recipiãtur. lib.2. epiſt.14. lib.7. epiſt. 5. lib.12. epiſt.16.29. lib.13. epiſt.10.19.21.23.49.50.51.56.59.60.67.70.78. Iuuentur atq; promoueãtur in muneris atq; officij alicuius petitione. lib.2. epiſt. 6. lib.11. epiſt. 16. 17. In famæ atq; exiſtimationis defenſione. lib.12. epiſt.21. In fortunis & facultatib. vel cõſeruãdis, vel recuperãdis lib. 6. epiſt. 9. lib.13. epiſt.37.54.70. In cauſa hæreditaria. lib.7. epiſt.21. lib.13. epiſt.26.29.30. In exigẽda pecunia. lib. 13. epiſt.14.56.61.72. In impetrando reditu. lib. 9. epiſt. 13. lib. 11. epiſt.22. In cõmoda habitatione comparanda. lib.13. epiſt. 1.2. In immunitate acquirenda. lib. 13. epiſt.76. In ciuitatis iure conſequendo. lib. 13. epiſt.36.

Materiæ conſolationum variæ.

In reſtitutione agrorum aut prædiorum. lib. 13. epiſt. 4. 5. 7. 8. Legatorum. lib. 13. epiſt. 11. 12. Mercatorum. lib. 1. epiſt. 3. lib. 13. epiſt. 9. 17. 22. 33. 34. 44. 65. 66. Adoleſcẽtum. lib. 13. epiſt. 15. 16. 40. 64. 79. Sunt & in epiſtolis ad Atticum huius generis cùm alia exempla, tùm lib. 14. epiſt. 13. vbi admodum artificioſè Ciceroni Antonius, P. Clodij hoſtis filium commendat, & inter cætera generoſi eſſe animi ſcribit, ſuſceptas inimicitias deponere, non poſteris tradere: & humani atque ſapientis, afflictam hominũ fortunam dignam miſericordia iudicare. Vt hæc vſurpari epiſtola poſsit, cùm commendandus is, qui propter parentes & familiam parum eſſe gratus acceptusq; videtur. Et lib. 16. epiſt. 17. vbi Butrociana cauſa prolixè, vt & in tribus illis quæ ſequuntur Planco commendatur. Itaque ex iis videre licet, quonam pacto eiuſdem, vel rei, vel perſonæ, ſit ſæpè, ſine tamen aliqua moleſtia & offenſione, commendatio inſtituenda. Et in Epiſtolis ad Brutum epiſt. 1. in qua L. Clodium Bruto Cicero commendat: ſimul etiam excuſat id, quod de Clodij neſcio quibus ſermonibus ad Brutum erat delatum: & ne plus gratiæ quàm veritati

rítati tribuere videatur, profitetur non temerè ſeſe aut facilè alios commendare, eò quòd periculoſum hoc ſit cum primis propter naturas multiplices occultasq; hominū voluntates. Quæ ſententia præclara eſt, & in commendationibus, fidei faciendæ gratia, ſæpè vſurpanda. Et 7. vbi Brutus Ciceroni Bibulum commendat, vt in honoris petitione ſuo illi ſuffragio adſit. Et 8. in qua Cicero Bruto Naſoniū commendat ſtrenuuum militem. Et. 11. vbi Brutus Antiſticum quendam ducem Ciceroni cōmendat. Deinde & illud ſpectandum, recténe, obliquè, occultè: an directò & apertè ſint commendationes factæ. Nos exemplo aliquo rationem, & artis obſervandæ, & inſtituendæ imitationis in huius generis epiſtolis oſtendere conabimur: ſed ita vt nudas tantùm ſententias, & primas quaſi lineas ducamus: elocutionem atq; ornatum eloquentiæ ſtudioſis relinquamus. Sit ergo ad imitandum epiſtola nobis 2. lib. 13. famil. propoſita, in qua Auianum Cicero Memmio commendat, & vt ei ſe de habitatione accommodet, petit. Partes epiſtolæ illius quatuor ſunt. Puima, principiū cauſarum ἐνδείξει ſignificatione & συστάσει commen- *Simplicis & apertæ commendationis imitatio.*

datione Auiani factum, quam à familiaritate Cicero & conuerſatione ſumit. Vnde & illud colligitur: virum Auianū bonum & virtute præditum eſſe: cùm non niſi cum bonis boni qui ſunt, verſentur. Altera propoſitio eſt, quæ ἀξίωσιν petitionem admodum modeſtam ac verecundam continet. Tertia eſt confirmatio, argumentis conſtans, à neceſsitate & vtilitate petitis. Quarta & poſtrema concluſio grati animi ὑποσχέσει pollicitatione abſoluitur. Hanc ergo imitando effingere conati epiſtolam adoleſcẽtem ſtudiorum gratia in Academia aliqua commorantẽ viro doctó, aut amico noſtro commendabimus: vt ei cùm aliis rebus, tùm commodó hoſpitio proſpiciat. Sententiæ breues atq; nudæ tales eſſe poterunt.

I. *Iacobo, qui veſtra in Academia ſtudiorū nunc gratia cōmoratur, & ipſo longo iam tempore ſum vſus familiariter, & parentibus eius atq; cognatis familiariſsimè.*

II. *Itaq; etiam atq; etiam abs te peto, quod citra moleſtiam tuam fiat, eidem cùm aliis in rebus auxilio conſilioq́; tuo adſis: tùm verò habitatione commoda proſpicias.*

III. *Nam propter ſtudia, quæ pleno, vt audio, nunc eſt curſu ingreſſus, hoſpitium mutare, & viri alicuius*

alicuius docti menſa tectoq; vti eum deinceps vult parens.

IIII. *Non pluribus abs te hoc petere per verecundiam audeo.*

V. *Neq; tamẽ dubium mihi eſt vllum, quin, cum præclarè ſis in omnes adoleſcentes ſtudioſos animatus, eorundemq; pro virili prouehere conatus laudabiles cupias, huic quoque præclaræ ſpei iuueni haud grauatè ſis adfuturus.*

VI. *Mihi certè rem longè facies gratiſſimam: ſi commendationi huic meæ locum reliqueris: & adoleſcentem ipſum bonorum amore ac beneuolentia dignum: bene memores atq; gratos ſemper eiuſdem parentes & cognatos reperies. Vale.*

Atq; hoc quidem puræ, apertæ, ſimplicis eſſe commendationis apud Ciceronem exemplum poteſt: cuius tum vſus, cum ad amicos & familiares de viris bonis: rebus, vel notis, vel honeſtis, vel non vſq; adeò magnis atq; difficilibus ſcribẽdum. Sunt quædam tectè & obliquè inſtitutæ q̃ vſurpãdæ, cùm ad viros eſt doctos magnaq; autoritate prędiτos, aut eos ſcribendum, qui non vſq; adeò grati ſunt & accepti: aut petenda ea quę parũ honeſta, iucunda, facilia eſſe videntur. Vbi diligentia magna requiritur: nec breuis, ſed copioſa flagitatur cauſarum inſtitutæ

commendationis enumeratio: occupationes etiam neceſſariæ ſunt, & inſinuationes, & verborum circuitiones: vt ita ſenſim & paulatim, quod petitur, impetretur. Huius generis exempla præclara apud Ciceronem reperiuntur: vt lib. 2. epiſt. 6. lib. 9. epiſt. 13. lib. 11. epiſt. 22. lib. 12. epiſt. 26. lib. 13. epiſt. 1. 4. 6. 10. 15. 16. 19. 20. 30. Nos exercitij cauſa epiſtolam 6. lib. 2. deligemus, quę accuratè eſt & artificiosè ad Curionem nobilem, doctum, atq; gratioſum adoleſcentem de re non parua, ſed conſulatus petitione perſcripta. Partes illius epiſtolæ ſunt quatuor. Exordium, in quo vt beneuolentiam ſibi Curionis Cicero conciliet, primò de feſtinatione atque celeritate obiectioni occurrit. Deinde ingeniosè admodum atque callidè de ſuis & Ciceronis meritis ac beneficiis agit: & illa quidem extenuat: hęc verò exaggerat atque amplificat. Pars altera Narratio eſt, quę rei quę petitur, cauſarum itidem expoſitionē continet. Tertia eſt Confirmatio: quę ab vtilitate & facultate deſumpta argumēta habet. Quarta & poſtrema Concluſio: longioris petitionis pręciſione & ἀνακοινώσει grati animi & memoriæ renouatione abſoluitur.

Imitatio commendationis occultæ & tectæ.

Hanc

Hanc nos imitari poterimus tum, cùm amicus eſt noſter commendandus, vt locum ille & conditionem aliquam honeſtam conſequatur. Sententiæ hunc inſtitui in modum poterunt.

I. *Nondum erat auditum, de clariſſimi doctiſſimiq; viri demortui ſucceſſore deliberari, cùm haſce ad te literas dedi.*

II. *Sed tamen cùm tempus appropinquare, atq; aliquo cum periculo coniuncta eſſe mora videretur; non metui, ne aut feſtinatio hæc mea præpropera, aut gravis moleſtáq; petitio tibi videretur.*

III. *Facerem hoc verecundius, ſi quæ à me in te aut tuos eſſent profecta beneficia: ne id quod peto, meo quodam iure poſtulare, non rogare, inq; mercedis potius, quàm beneficij habere loco iudicarer.*

IIII. *Sed quia in te mea nulla prorſus, aut certè pauca eaq; tenuia: plurima contrà maximaq; tua in me ac meos extant promerita, viriq; eſt boni & agnoſcere, & celebrare accepta beneficia: non id à te ſum petere veritus, quod mihi omnium gratiſſimum: amico vtile cum primis, ſummeq; neceſſarium eſſe poteſt.*

V. *Ego omnem meā curam, cogitationem, mentē in Timothei fixam locatamq; promotione habeo.*

VI. *Neque cuiquam tam eſſe ſuas curæ res eſſe poſſe exiſtimo, quàm eius mihi cordi eſt honos atq; incolumitas.*

VII. *Huic ſi modò volueris, magno eſſe adiumento poteris in conditione ea, quæ per doctiſſimi clariſſimiq; viri nunc mortem vacat: vt aliorũ minimè op⁹ auxilio, aut interceſſione habere videamur.*

VIII. *Sunt in nos, vti ſpero; multisq; hactenus ſum in rebus expertus, animati præclarè ij, qui principem apud vos in Senatu locum nunc tenent, eligendiq; poteſtatem habent.*

IX. *Non teſtimonia deſunt clariſſimorũ doctiſſimorumq; virorum, qui ſingulari Timotheum beneuolentia atq; amore proſequuntur: propter inſignem pietatem: doctrinam eximiam: vitæ ſanctimoniam ſingularem: rarum concordiæ ſtudium.*

X. *Monitor hîc tantum & moderator totius negotij requiritur: ne, vt hominum eſſe mos hodiè ſolet, ab aliis locus ei honeſtus præripiatur.*

XI. *Qua quidem in re, quemnam tecum conferamus, ſcimus neminem.*

XII. *Itaq; ſi virum me bonum: ſi tua amicitia dignum: ſi acceptorum beneficiorum memorẽ gratumq; iudicas: tantum amico, vel potius mihi ipſi, ſtudium dices dedasq; etiam atq; etiam rogo.*

XIII. *De Timotheo hoc verè tibi ſancteq; polliceri poſſum, te, ſi promouere hominem volueris, maioris pietatis, doctrinæ, grauitatis, diligentiæ, induſtriæ vix quenquam habiturum.*

XIIII. *Mihi verò tam hoc eſt gratum acceptumq; futurum: vt in me ipſum hoc eſſe beneficium*

cium

cium collatum, ſim exiſtimaturus.

XV. *Scriberem hanc in ſententiam ad te plura, niſi commendationis huius meæ atq; ſolicitudinis cauſas tibi cognitas eſſe putarem.*

XVI. *Nunc totum tuæ fidei atq; diligentiæ negotium trado: vtq; in eodem, non tam amici vtilitatis, quàm meæ pietatis rationem habeas, qua poſſum diligentia oro. Vale.*

De ratione reſpondendi ad aliorum literas commendatitias.

Hoc ergo modo Ciceroniana veſtigia ſecuti, vel apertè & directò, vel obliquè atq; tectè, quos charos habemus, amicis commendare noſtris poterimus. Videamus iam quo pacto ad aliorum ſit literas commendatitias reſpondendum. Quemadmodum igitur in inſtituẽdis commendationibus tria potiſsimũ obſeruãda eſſe oſtẽdimus: perſonarum diuerſitatem: rerum naturam & conditionem: ſententias earundemq; tractationem: ita & illis qui eruditè ad aliorum reſpondere commendationes cupiunt, habenda eorum primùm eſt ratio, qui commẽdant alios, aut commendantur, proq; perſonarum diuerſitate diuerſus quoque reſpondendi eſt modus adhibendus. Deindè & res ipſæ cuiuſmodi ſint ſpectandum. Sunt enim quædam honeſtæ, vtiles, faciles, in quibus non gratificari amico turpe eſt,

Sunt aliæ deinde periculoſæ, difficiles, parum honeſtæ, in quibus ſine aliqua reprehenſione reiici interceſsio atq; commendatio poteſt. Tum etiam de ſententiis eſt & argumentis cogitandum, atque ex cauſis & adiunctis petenda. Si enim locum aliorum relinquere commendationibus voluerimus: oſtendemus nos eum pro quo ſcribitur, habituros eſſe nobis commendatiſsimum: quòd honeſtum, vtile, neceſſarium, vt mos hac in re amico geratur. Non poſſe nos commendationem hanc parui facere aut negligere. Eſſe eum qui commendat præclarè de nobis noſtriſq; meritum, vt denegare ei nihil poſsimus: qui commendatur virum bonum, doctum, noſtri ſtudioſum, amore, beneuolentia, promotione dignum: nos ita animatos, vt pro noſtra tenuitate prodeſſe cupiam⁹ cùm aliis omnibus, tùm verò iis maximè q à viris bonis atq; amicis nobis commendantur. Quod ſi verò vel propter perſonam commēdati, vel res ipſas denegare aliquid amico neceſſe habuerimus: rationes itidem, cur hoc faciamus, exponemus, eaſdemque ſumemus, vel à rei difficultate, vel periculo, vel noſtrarum virium tenuitate, vel attributis:

Sententiæ reſponſionum ad literas cōmēdatitias.

butis:loci, temporis,perſonarum, modi. Motus qui locũ hîc habet ſpes eſt & confidentia, excitata pollicitatione eorum, quæ grata commendanti amico:cõmendato vtilia acceptaq; eſſe poſſunt.Ἤθη autem mores ſcribentis amabiles oſtendũt: beneuolentiæ, ſtudij, officij declarationes: laudationes eorum, qui amicos nobis ſuos commendarunt: modeſtæ & verecundæ virium noſtrarum extenuationes: aut etiam excuſationes & deprecationes,cum aliorum ſatisfacere petitioni minimè poſſumus.Ad tractationem verò atq; collocationem horum quod attinet, diuerſa illa erit eius qui locum commendationi relinquet: & illius qui denegabit aliquid amico. Qui admittet commendationem,in Exordio vtetur:aut laude amici.lib.5. epiſt.11. Aut literarum acceptarũ & commẽdationis inſtitutæ repetitione breui.lib.15.epiſt.14.Aut pollicitatione directa.lib.9.epiſt.24. Aut ἀφηγήσει, modeſta narratione atq; expoſitione eorum quę iam egerimus.lib.10.epiſt. 13.Pars altera Propoſitio erit ſignificatione animi prompti, & officij atque ſtudij ὑποσχέσει promiſsione facta. lib.5. epiſt.11. lib.15.epiſt.14.Pars tertia Confirmatio τὰ

παθητικὰ argumenta.

ἠθικὰ argumenta.

Collocatio argumẽtorum in admiſſa cõmendatione inſtituenda.

tiones continebit, cur gratificari aliis & commendatũ nobis habere amicũ velimus: deſumptas à perſona vel cõmendantis. lib. 5. epiſt. 11. lib. 9. epiſt. 24. vel cõmendati. lib. 9. epiſt. 24. lib. 15. epiſt. 14. In Concluſione repetitio inſtituet breuis & modeſta ante factæ promiſsionis. lib. 5. epiſt. 11. Quod ſi denegare aliquid amico cogimur: paucis in Exordio lubenter nos gratificari amico velle: dolere etiã ex animo ſignificabimus, q; facere illud nequeam⁹. lib. 10. epiſt. 2. In Cõfirmatione cauſſæ recenſendæ erunt, cur cõmendationi locũ relinquere non poſsimus, eæq; petẽdæ: vel à conditione tẽporum & reipub. ſtatu miſerabili. lib. 10. epiſt. 2. periculis quæ metuẽda. ibid. crudelitate & tyrannide aduerſariorum. ibid. Poſtrema pars Concluſio deprecatione veniæ & noſtri officij atq; ſtudij aliis in rebus pollicitatiõe abſoluetur. lib. 10. epiſt. 2. Sunt aũt res & materiæ eiuſmodi reſponſionum quæ in Ciceronis epiſtolis familiaribus reperiũtur. Reſponſio ad commendationem honoris & dignitatis. lib. 7. epiſt. 24. lib. 10. epiſt. 2. 13. Ad commendationẽ amici generalem. lib. 15. epiſt. 14. Ad commendationem vxoris. lib. 5. epiſt. 11. Quæ ad imitan-

Collocatio in denegatione & recuſatione vt inſtituenda.

Materiæ reſponſionum ad aliorum cõmendationes variæ in epiſtolis Ciceronis.

mitandum propoſita nobis eſſe exempla poterunt, quoties commendatitiis amicorum literis reſpondere neceſſe habebimus. Nos inſtitutam methodum ſecuti lib.5.epiſt.11.effingere conabimur, in qua Vatinij cõmendationi Cicero reſpõdet: & laude poſita in exordio Vatinij, atque breui commendationis repetitione, omne, omnia ſua ſtudia, & officia eiuſdẽ vxori cõmendatæ defert: ratione deniq; à cõmendantis petita perſona, & honeſta, & laborioſa minus ſibi fore pollicetur ea q̃ in amici rebus acturus ſit. Sententiæ breues atque nudæ tales eſſe poſſunt. *Imitationis exemplum.*

I. *Grata tibi mea quantulacunq; eſſe officia atq; ſtudia, lætor, & ex animo lætor.*

II. *Quanquam nouum hoc in te, aut mirum videri minimè debeat.*

III. *Cùm enim omnibus virtutibus aliis te præditum cognoui: tùm verò animum maximè gratum in te deprehendi, eundemq; prædicare hactenus non deſtiti.*

IIII. *Neq; quod cum multis eſſe tibi commune poſſet, gratias mihi modò egiſti: verùm etiã re ipſa abundè atq; cumulatè retuliſti.*

V. *Quo etiam nomine obſtrictum me tibi hactenus deuinctumq; ſemper habuiſti, pariq; ſtudio ac voluntate deinceps in te tuosq; deprehendes.*

VI. *Quod mihi adoleſcentem ſtudioſum, cognatum tuum commendas, ſtatim literis tuis lectis largè mea illi officia obtuli: cum popularibus etiam eiuſdem ſum locutus, meis verbis ei indicarent, vt cùm in ſtudiis, tùm aliis rebus audacter mea opera vteretur: paratum me promptumq́; ſemper futurum.*

VII. *Itaq; faciam: &, ſi opus videbitur, ipſe ſtudiorũ illius inſpector, moderator, gubernator ero.*

VIII. *Quia etiam plerunq; verecundia obſtare adoleſcentulis ſolet, ei ſcribas velim, me ſæpè vt conueniat: nec graue hoc mihi, aut moleſtum fore exiſtimet.*

IX. *Ita enim de me es meritus præclarè: vt à te cõmendatis nulla in re deeſſe, vel velim, vel poßim.*

X. *Negotia illa de quibus nuper ad te ſcripſi primo quoq; tempore expedias rogo: gratum me præſtabo.*

XI. *Sin impedimentum obiectum aliquod fuerit: de eo certiorem me fieri velim.*

XII. *Dij illis malè faciant, qui in re longè æquißima atq; honeſtißima impedire nos conantur.*

XIII. *Sed vt ſcribis, egoq́; planè confido, breui improbitatis ſuæ pœnas dabunt.*

De ratione agẽdi gratias iis, qui cõmẽdatos à nobis amice tractarunt.

Ad hunc ergo modum reſpondere iis poterimus, qui amicos nobis ſuos per literas commẽdarunt. Reſtat vt antequam ad epiſtolæ genus nouum accedamus, exempla proferamus inſtituendæ gratiarum

rum actionis apud eos, qui moti cōmendatione noſtra bene amicis fecerunt: licet de *εὐχαριστικῶν* epiſtolis in ſecunda parte, & generis demonſtratiui literis ſeorſim ſimus aucturi. Sunt autem in eiuſmodi gratiarum actionibus ſententiæ adhibendę. *ἐγκωμιαστικαὶ* laudantes: *αὐξητικαὶ* amplificantes: *εὐχαριστικαὶ* gratias agētes: *ἀξιωτικαὶ* petitorię. Nam & laudanda ſunt atq; amplificanda amici in commendatum à nobis collata beneficia: & noua addenda petitio: vt & porrò eundem commendatum ſibi habere dignetur: animi denique grati memoriæ, ſtudij, officij pollicitatio ſubiungenda. Collocatio autem ita eſt inſtituenda: vt in Exordio ſit: aut lætitiæ declaratio, quam ex humanitate & beneuolentia amici percepimus. lib. 13. epiſt. 24.55.65. Aut excuſatio, quod eodem ſæpe apud amicum literarum exemplo vtamur. lib. 13. epiſt. 27. Aut gratiarum actio pro præſtita humanitate, hoſpitalitate, liberalitate amico commendato. lib. 13. epiſt. 42.56. In parte altera beneficia exponantur, commendentur, amplificentur. lib. 13. epiſt. 27.43. In tertia petitio *ἀξίωσις* & *σύστασις* commendatio noua inſtituatur; vt quemadmodum hactenus, ita

Sententiæ εὐχαριστικαὶ.

Collocatio gratiarum actionis.

deinceps quoq; ſit amicus cõmendatus. li.13.epiſt.25.27.42.43.54.55.65.Pars quarta & poſtrema concluſio abſoluatur: vel ἀνακαινώσει, renouatione cõmẽdationis & petitionis.lib.13.epiſt.43.55.65.Vel ὑποσχέσει animi grati promiſsione. lib.13. epiſt. 42.65.Vel ὑποσιωπήσει preciſione vlterioris

Materiæ gratiarum actionis in epiſt. Ciceronis.

cõmendationis.lib.13.epiſt.24. Reperiũtur aũt eiuſmodi gratiarũ actionũ,quoad res & materias, illa Ciceronis in epiſt. exempla. Pro impetrata noſtra cõmmendatione,venia.lib.13.epiſt.25.Benignè,amanter,liberaliter,honorificè,tractato amico.lib.13.epiſt.28.55.65.Suſceptis & ꝓmotis amici negotiis.lib. 13.epiſt. 42.43. Nos exercitij gratia contẽti erimus epiſt. 42.lib. 13. in qua Culeolo gratias Cicero

Imitationis in gratiarũ actione exemplum.

agit.Partes illius epiſt.ſunt quatuor. Prima, Exordium gratiarũ actione cõſtans. Altera, Narratio, expoſitionẽ & cõmendationẽ pręſtiti officij continens.Tertia, cõmendatio & petitio noua : vt & deinceps Luceio adeſſe Culeolus velit.Quarta, Concluſio, q̃ grati animi pollicitatione abſoluitur. Hanc ergo imitati gratias agemus amico,q̃ motus noſtra commendatione humaniter atque beneuolè adoleſcentem ſtudioſum tractauit.

I. Quæ

I. *Quæ feciſti adoleſcenti ſtudioſo, qui à me tibi cõmendatus fuit, homini te grato feciſſe ſcias velim.*

II. *Neq; enim ſatis per literas tuam mihi prædicare humanitatem atq; beneuolentiam potuit, eóq; nomine in ære ſeſe meo futurum ſemper affirmauit, quòd tibi commendatus fuerit.*

III. *Neq; ipſi modò adoleſcenti grata hæc mea commendatio extitit: verùm etiam parens illius, vir clariſſimus, quoties me videt (videt autem ferè quotidie) & mihi, & tibi gratias immortales agit.*

IIII. *Addo illud quoq;, quod tibi minimè ingratum aut iniucundum eſſe planè ſtatuo: me quoq; ex iſta tua in adoleſcentem humanitate atq; beneuolentia, voluptatem incredibilem percepiſſe.*

V. *Quod reliquum eſt, etſi nõ dubitem, quin pro tua prona propenſáq; bene cùm de omnibus aliis, tùm verò ſtudioſis maximè adoleſcentibus, merendi voluntate conſtans hac ſis in re manſurus: tamen maiorem in modum à te peto: vt quæ præſtare hactenus cœpiſti, deinceps quoque conſerues, augeas, cumules.*

VI. *Tam hoc mihi gratum, quàm quod gratiſſimum fore: teq; & apud parentem, & filium poſiturum egregiè, ſanctè polliceor.*

VII. *De rebus meis priuatis nuper ad te copiosè diligenterq; perſcripſi, vt quod præterea iam ſcribam non reperiam.*

VIII. *Vnicum hoc abs te peto: vt, quod facis,*

me ames, meq́; tuum, & eſſe iam, & fore perpetuò confidas. Vale.

DE COHORTATORIIS EPISTOLIS.

COhortatoriæ epiſtolæ, προτρεπτικαὶ, νουθετικαὶ, παραινετικαὶ à græcis appellatæ, ſunt in quibus amicus monetur atq; excitatur, vt vel quod optimum eſſe factu videtur, cupidè amplectatur ac ſuſcipiat: vel contrà, quod turpe, aut malum, auerſetur ac fugiat.

Diſcrimen ſuaſionū & adhortationum.

Differt autem hoc epiſtolarum genus à ſuaſionibus, quòd in ſuaſionibus aliqua eſſe dubitatio ac controuerſia ſolet: in cohortationibus verò hæſitatione omni remota incitatio ſolùm aliqua atque inflammatio requiritur.

Vtilitas cohortatoriarum epiſtolarum.

Et ſunt epiſtolæ tales cumprimis vtiles ac neceſſariæ. Neque melius de amicis mereri noſtris poſſumus, quàm ſi ad illa quæ honeſta ſunt & præclara eos hortemur: dehortemur ab iis quæ turpitudinis aliquam iiſdem maculam inurere, aut damnum dare poſſunt. Maximè verò hiſce adoleſcentes opus epiſtolis habent, quorum, ſi hortatores deſint fideles, vitiis animi corrumpuntur: corpora eneruantur libidinibus: aut negligentia, aut luxu fortunæ

fortunæ pereũt. Sunt autem ſententiæ in his & argumenta adhibenda primũ δεικτι-κὰ docentia & probantia, ſumpta, vel ex cauſis impellentibus & finalibus: cuiuſmodi ſunt utilitas, ſed honeſta: neceſsitas, verùm talis, vt ſit facilis inq; effectum produci aliquem queat: vel adiunctis & circumſtantiis, hoc eſt, laude cùm rei ipſius de qua agitur, tùm perſonæ eius ad quem ſcribitur. Excuſandi enim atq; detrectandi omnis tum occaſio præciditur, cùm patriæ, parentum, familiæ honorifica mentio inſtituitur: res antè bene præclareq; geſtæ commemorantur: vita anteacta laudatur: recenſentur honores ac præmia: ingenij præſtantia, & id genus alia in medium proferuntur. Vel comparatis atque exemplis, quibus multi magis quàm vllis moueri rationibus ſolent: maximè ſi noſtræ illa ciuitatis, gentis, familiæ extiterint. Vel autoritate, teſtimoniis, ſententiis doctiſsimorum & grauiſſimorum hominum. Vel προσδοκίᾳ expectatione, ſpe, votis parentum, propinquorum, aut aliorum bonorum & honeſtorum ciuium. Vel ſtudio, atq; ſolicitudine noſtra ac noſtrorum. Deinde mouentia quoq; ſunt argumenta in exhortationi-

Adhortatoriarũ epiſtolarum ſententiæ δεικτικαὶ probantes.

παθητικαὶ mouẽtes ſententiæ.

bus neceſſaria: propterea q, veluti calcaria illa ſunt, quibus ad capeſſendam virtutem resq; præclarè gerendas homines inſtigantur. Sunt autem ſex potiſsimum motus qui hoc in epiſtolarum genere requiruntur. Primus ſpes eſt & expectatio egregiorum præmiorum, gloriæ, honoris, dignitatis, opum, &c. Alter huic contrarius eſt, metus ſeu reformidatio periculorum, incōmodorum, turpitudinis, dedecoris, infamiæ. Tertius amor, qui conciliatur ſignificatione ſtudij, beneuolentiæ, neceſsitudinis, propinquitatis, patriç, ſocietatis, religionis, & aliorum, q̄ hominum vincere atque conglutinare animos ſolent. Quartus eſt odium aduerſus eos qui inſolentiæ, crudelitatis, aut aliorum vitiorum nomine malè apud viros bonos audiunt. Quintus commiſeratio eſt, denunciatione excitata illorum, quæ in malis dignisq; miſericordia numerare homines conſueuerunt. Sextus & poſtrem⁹ eſt æmulatio. Nihil enim eſt q, generoſum erectumq; animum magis inflammet, quàm certamē cum altero de laude atq; gloria inſtitutum. Neq; quicquam turpe aut inhoneſtum magis ducitur, quàm ab æmulis vinci ac ſuperari.

Vt au-

Vt autem mouentes hiſce in epiſtolis neceſſariò ſunt ſentẽtiæ adhibendę: ita neq; illæ commodè omitti poſſunt, quæ ad conciliandum ſunt aptæ atq; accommodatæ. Non enim omnes animo æquo exhortationes admittũt: ſed vel φιλαυτίᾳ quadam non opus admonitione ſeſe habere exiſtimãt: vel cum diffidentia aliqua coniunctam illam eſſe opinantur: vel ſtultitia neſcio qua bona atque ſalutaria conſilia reſpuunt. Itaque vſurpanda hîc erunt ea, quæ rem per ſe ingratam atque iniucundam mitigant ac leniunt. Fit autem hoc primum ἐπαίνῳ laude & commendatione eius ad quem ſcribimus, quæ, vt quodam in loco Cicero ſcribit, in excitando atq; acuendo plurimum valet: maximè cùm principes, aut aliàs potentes ac diuites hortari volumus: qui vt laude delectantur, ita admonitiones grauiter nonnunquam moleſteque ferunt. Deinde προθεραπείᾳ ſeu προεκπλήξει, præmunitione & mitigatione quadam: cum vel ſpem nos præclaram conceptam tenere oſtendimus, amicum ꝓ ſua humanitate, aut prudentia, haud grauatè liberam admonitionem admiſſurum: aut eundem rogamus: vt importunitati veniã dare noſtræ velit.

Sententiæ ἠθικαὶ conciliantes & delectantes.

Tum ſignificatione noſtræ erga amicum beneuolentiæ, curæ, ſolicitudinis: ſine tamen oſtentatione, vel iactantia: adhibita etiam, aut præciſione, aut extenuatione modeſta. Quartò μεταστάσει, cum q, facimus, facere nos oſtendimus coactos: vel amici erroribus ac delictis: vel inopia, quod aliud ſcilicet ſcribendi argumentum non ſuppetat: vel caſu quodam, cùm de rebus aliis cum amico agere conſtituiſſemus. Poſtremò μεταλλαγῇ προσώπου, perſonæ commutatione, cùm, quid, non nos, ſed alij velint, optent, ſentiant, loquantur, indicamus.

Collocatio argumẽtorũ in ſingulis exhortationũ partibus.

Ad collocationem verò iſtarum ſententiarum quod attinet; quinq; exhortatoriarum epiſtolarũ ſunt partes. Prima Exordium, quod ſententiis maximè ἠθικοῖς conciliantibus conſtat:

Exordia exhortationũ varia.

factis, aut συστάσει laude & commendatione eius ad quem adhortationẽ ſcribimus. lib. 2. epiſt. 1. 5. lib. 10. epiſt. 5. lib. 12. epiſt. 1. Aut αἰπολογίᾳ & beneuolentiæ, curæ, ſolicitudinis, ſtudij, officij declaratione. lib. 2. epiſt. 1. 4. lib. 7. epiſt. 6. lib. 10. epiſt. 3. 6. lib. 11. epiſt. 20. lib. 12. epiſt. 1. 24. 28. lib. 14. epiſt. 21. lib. 16. epiſt. 4. 6. 7. 12. 13. 14. 16. 22. Aut ἀπολογίᾳ & literarum raritatis vel breuitatis excuſatione. lib. 2. epiſt. 1.

lib. 11.

lib. 11. epiſt. 5. lib. 14. epiſt.17. Aut ὀδυρμῷ querela de reip. ſtatu miſero atq; perturbato.lib.12.epiſt.3.Aut προθεραπείᾳ pręmunitione &prçcaſtigatione.li.10.epi.5.Aut προσώπου μεταλλαγῇ perſonæ cõmutatione. lib.11.epiſt.5.12.Pars altera ἀφήγησις Narratio eſt breuis, rei ipſius expoſitionem & ἀφορμὰς, occaſiones continẽs. lib.10.epiſt. 3.6.20.lib.16.epiſt.5. Pars tertia eſt κατάστασις Propoſitio παραινετικὴ ἢ προτρεπτικὴ, eaque vel ἐπ' εὐθείας directò, vel πλαγίως obliquè, tectè, occultè facta. Directa adhortatione conſtat ſimplici: vt lib.7.epiſt.9.17.lib.10. epiſt.5.6.20. lib.12. epiſt.24. Aut petitione atq; obteſtatione. lib.16.epiſt.5.7. Aut reprehẽſione, ſed amica & beneuola.lib. 7.epiſt.6.Obliqua atque occulta inſtituitur: vel διαπορήσει dubitatione.lib.2. epiſt. 5. Vel teſtificatione veteris amicitiæ ac neceſsitudinis. lib.10.epiſt.3. Vel laude. lib. 12. epiſt. 1. Vel πεποιθήσει ſpe ac fiducia præclara de amico concepta. lib.16.epiſt. 6.Quarta pars Confirmatio eſt, quę argumenta probantia & mouentia habet, deſumpta vel ἀπὸ τοῦ καλοῦ καὶ ἐπαινετοῦ ab honeſto & laudabili.lib.10.epiſt.3.5.6.lib.11.epiſt. 5.lib.12.epiſt.24.Vel ἀπὸ τῆς προσδοκίας, ab expectatione, partim ſanguine iunctorum,

Narrationes exhortatoriæ.

partim aliorum bonorum virorum.lib.2. epiſt.1.4.5.lib.10.epiſt.5.20. lib.11.epiſt.5. 25.lib.12. epiſt.1.8. Vel ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ καὶ ῥᾳδίου facultate & occaſione præclara. lib. 2. epiſt.1.4. lib.10. epiſt.3. lib.11.epiſt.20. lib. 16.epiſt.16.18. Vel ἀπὸ τοῦ συμφέροντος ab vtili. lib.7.epiſt.6. lib.10.epiſt. 5.6.20. Vel ab amore,cura,ſolicitudine noſtra & noſtrorum. lib. 16. epiſt. 1.5.7.13.14.16.18.22. Vel ſuperioris temporis actis præclaris. lib. 10.epiſt.3.lib.11. epiſt.5. lib.12. epiſt.1. Vel teſtimoniis & autoritate doctorũ & prudentum. lib.7.epiſt.6. Pars poſtrema Cõcluſio abſoluitur:aut προτροπῇ adhortatione,vt.lib.2. epiſt.5.lib.7. epiſt.6.lib. 10. epiſt.5.lib.11. epiſt.20.lib.12. epiſt.1. lib.14. epiſt.8.17.21.lib.16.epiſt.1.4.5.7.12.13.16.18. 22. Aut ἀξιώσει petitione.lib.2. epiſt.1. Aut ἀποσιωπήσει præciſione longioris adhortationis, & verecunda atq; modeſta expoſitione cauſarum: ne temerè, arroganter, vel inflammandi amici gratia potiùs, q̃ teſtificandi noſtri amoris ergô quod fecimus, feciſſe videamur.lib.2.epiſt.4. lib.7. epiſt.6.lib. 10. epiſt. 3.5.lib. 11. epiſt. 5.20. 25.lib.12.epiſt.1.Aut ἐπιθεραπείᾳ mitigatione & excuſatione παῤῥησίας libertatis & ſeueritatis in adhortando.lib.10.epiſt.6. Aut

Concluſiones adhortatoriæ.

Aut ὑποσχέσει delatione atq; pollicitationē ſtudij atq; officij noſtri:lib. 10. epiſt.3.20. lib.11.epiſt.5. lib.12.epiſt.1.lib.16. epiſt.14. Aut ἀνακεφαλαιώσει breui præcipuorum argumentorum repetitione.lib.12.epiſt.8.lib. 16.epiſt.16. Vt autem horum omnium facilior, atq; expedita magis fiat imitatio, res ſunt & materiæ conſiderandæ, quæ huius generis in Ciceronis epiſtolis familiaribus reperiuntur. Sunt enim in illis cohortationes ad opem Reip. ferendam.lib.2.epiſt.5.lib.7.epiſt.17.lib.9.epiſt. 14.lib.10.epiſt. 3.5.6.13.20.lib.11. epiſt.5.7. 9.12.25.lib.12.epiſt.1.8.24. Ad reſpondendum ſpei atq; expectationi præclaræ.lib. 2.epiſt.1.4.lib.7.epiſt.9. Ad peregrinationes inſtituendas.lib.6.epiſt.8.lib.7.epiſt. 6. Ad magnorum virorum & potentum offenſionem declinandam. lib.14. epiſt. 8.10.17.21. lib.16. epiſt.1.4.5.6.11.12.13.14. 18. 22. Sed pulcherrimum & perfectiſsimum huius generis epiſtolarum exemplum ea, quæ ad Quintum eſt fratrem perſcripta epiſtola continet: etſi prolixa illa ſatis, & libri potius, quā epiſtolæ nomen mereatur. Pluribus enim in ea fratrem ſuū Cicero hortatur: vt rectè & laudabiliter prouinciam Aſiam adminiſtret,

Materiæ ad hortatoriarum epiſtolarum Cic. variæ.

Eſt deinde in his ipſis quoq; ſpectãdum: directéne illæ ſint, & apertè: aut rectè atq; obliquè inſtitutæ. Et quidem, vt ad vſum atque imitationem aggrediamur, apertæ adhortationis exemplum epiſtolam 9. lib. 7. ſumemus, in qua Trebatium Cicero hortatur, de rebus ſuis vt ſcribat, operãq; det, ne occaſiones optimas negligat, aut pręproperè domum redeat. Partes epiſtolæ iſtius quatuor ſunt. Exordium in quo Cicero captandæ beneuolentiæ ergô, & ſcribendi ſeſe deſiderare in Trebatio officium oſtendit: & ſuum ſimul ſilentium excuſat. Propoſitio προτρεπτικὴ hortatoria, ne ſibi ipſi Trebatius deſit. Confirmatio, quæ προτροπῆς adhortationis rationes cõplectitur: à fine inſtitutæ profectionis & turpi deſumptas. Concluſio narratiuncula breui de Octauio quodam Trebatij amico abſoluitur, qui Ciceronẽ crebrò, ſed parum decorè, ideoque fruſtra ad cœnam inuitare ſolebat. Hanc nos imitati adoleſcentem ſtudioſum hortari conabimur, vt tempus atq; otium ſuum bene in Academiis collocet, operamq; det ne vacuus aliquando & inanis domum redeat. Sententiæ breues atque nudæ tales eſſe poterunt.

Imitatio adhortationis apertæ, &c.

I. *Iam-*

I. Iamdiu ignoro quid agas: quomodo ſtudia tua inſtituas: qua aut fortuna, aut valetudine vtaris.

II. Abes procul: ſcribis rarò: & ea ipſa quæ ſcribis, eiuſmodi ſunt: vt me alioſq; tui amantes non parùm anxios ſollicitoſq; reddant.

III. Neq; ego ad te aliquot iam menſibus literas dederam; quia in Gallia amplius non eras: quò mitterem, aut cui eas traderem, ignorabã: negotiis etiam non paruis diſtrictus diſtentuſq; tenebar.

IIII. Perquàm ſcire aueo, quos viros nunc doctos audias: quæ ſtudia tua ſint atq; exercitia priuata: quorum amicitia & familiaritate vtaris: vbi futura manſurus æſtate ſis.

V. Velim operam des, vt quoad licuerit, doctiſſimorum quorumq; iureconſultorum inſtitutione vtaris: & diligenter, aßiduò, conſtanter vtaris: nec, quod multi magno ſuo cum malo atque damno faciunt, crebrò aut locum, aut doctorem mutes.

VI. In illam etiam mente tota curam incumbes: ne, cum ad continuanda ſtudia neceſſaria omnia tibi ſuppetant, tibi ipſi defuiſſe: occaſionibus indormiiſſe præclaris: parentum ſpem, expectationem cognatorum atq; amicorum feſelliſſe videaris.

VII. Serius potius ad nos, dum à doctrina magis inſtructus: paratus à linguis: moribus præditus politis redeas.

VIII. Quod enim domum nunc properes, nihil eſt: præſertim cum ad ſumptus neceſſarios ſup-

peditandos prompti ſint parentes : quæ adhuc diſcenda reſtent non pauca : conditio in patria nulla iam vacet.

IX. *Verum hiſce de rebus plura, opinor, ad te parens tuus perſcribet.*

X. *Philippus, familiaris, vt audio, & amicus olim tuus, quia tui me eſſe amantem intellexit, aliquo ties ad cœnam me inuitauit.*

XI. *Sed adhuc certis de cauſis, morem ei gerere nolui.*

XII. *Interim tamen non ingratum hoc eius mihi eſt officium.*

XIII. *Idq́; occaſione data ſcribere ad eum te velim, ne fortè contemni à me ſeſe ſuſpicetur. Vale.*

Obliquæ & rectæ cohortationes. Obliquè autem & rectè inſtitutarum cohortationum, quarum vſus, cùm ſcribendum eſt ad viros magnos, & potentes aut etiam alios homines, qui naturæ quodam vitio exhortationes ægrè moleſteq́; ferunt, exempla ſuppeditant. lib. 2.epiſt.3.lib.7.epiſt.6.17.lib.9.epiſt.14.lib. 10.epiſt.3.13.20.lib. 11. epiſt. 5.12.25. lib.12. epiſt. 8. Nos exercitij gratia ſumemus epiſt.3. lib.10. in qua artificiosè admodum Plancum Cicero hortatur, vt contra Antonium Rempub. tueatur ac defendat. Abſoluitur illa quatuor partibus: quarũ prima, Exordium occaſionis expoſitione: lau-

Imitatio cohortationis rectæ & obliquæ.

ne: laude Planci: veteris amicitiæ atque neceſsitudinis commemoratione conſtat. Altera Propoſitio eſt, quæ ipſam προτροπὴν adhortationem continet, non nudè, ſed amoris & neceſsitudinis teſtificatione factam. Tertia Confirmatio argumenta habet adhortationis: ab opinione & iudicio hominum: à facultate & occaſionibus præclaris: ab vtilitate deſumta. Quarta & poſtrema Concluſio verecunda & modeſta expoſitione cauſarum inſtitutæ adhortationis: & ſtudij atq; officij ὑποσχέσει delatione abſoluitur. Hac nos imitari epiſtolam conabimur, & hortabimur amicum, vt in officio, quod ei contigit, & diligentem ſeſe, & fortem præbeat. Sententiæ eſſe tales poterunt.

I. *Cùm amicum tuum veterem per ſe vidi libentiſsimè: tùm hoc longè mihi extitit gratiſsimum, quod illum audiens tecum mihi conferre ſermones videbar.*

II. *Nam & in conſiliis de repub. capiendis diligentiam: & in ſuſtinendis laboribus induſtriam: & bene de ſingulis merendi ſtudium mihi tuum expoſuit: adiecit & illud (quod tamen antè notum mihi erat) tuam humanitatem atque liberalitatem ab omnibus amari ſummisq; in cœlum vſque laudibus euehi.*

III. *Quæ quàm mihi auditu iucunda extiterint omnia, dici non poteſt.*

IIII. *Antè enim, quàm lucem tu hanc primò aſpexiſti, neceſſitudo mihi tuis cum parentibus totaq; domo veſtra conſtituta fuit.*

V. *Te autem ab ineunte tua pueritia, amore ſum & beneuolentia complexus: pòſt etiam confirmata iam ætate iudicaui eum, de cuius ego mihi amicitia atq; familiaritate gratularer.*

VI. *Et adhuc hodie ex animo honoribus tuis faueo, qui limos, quod aiunt, oculos multos efficiunt.*

VII. *Amici etiam cum ſit candidi & ſynceri monere: etiam atq; etiam te hortor: vt (quod facis) in munere gerendo omnia ea adhibeas, quæ bonorum ſatisfacere expectationi ac voluntati: maleuolorum atq; inuidorum, quantum his quidem fieri temporibus poteſt, ſubterfugere reprehenſiones & calumnias poſſunt.*

VIII. *Noſti profectò (neque enim fieri potuit, quìn ad te iſta deferrentur) fuiſſe quoſdam qui parum de te commodè loquerentur: quaſi ad opes, ad gratiam, ad honores atque dignitates viam tibi munires, ideoq; tuis actionibus offendere neminem velles.*

IX. *Quod ſanè & ipſe credidiſſem, niſi pro ea, qua præditus es prudentia, tuliſſe tum te, at non probaſſe multa: quid poſſes, non quid velles conſideraſſe, arbitratus ſuiſſem.*

X. At

X. *At aliter nunc res ſeſe habent.*

XI. *Liberum tuum eſt & ſolutum iudicium cum, & autoritate, & potentia apud omnes valeas plurimum.*

XII. *In eam igitur curam incumbes, quæ tua eſt familia digna: perſonæ conueniens, quaq; ſola ab obliuione atque interitu memoria tua vindicata magna cum laude ad poſteritatem vſque tranſmittetur.*

XIII. *Scriberem hanc in ſententiam plura, niſi tua te ſponte in* Rempublicam *animatum eſſe egregiè ſcirem.*

XIIII. *Et hæc quæ attigi, non profectò attigi: quòd meis te monitis opus habere putarem; aut neſcio quam oſtentare prudentiam vellem: ſed vt amorem in te meum ſingularem teſtatum facerem.*

XV. *Itaq; & æqui boniq; iſta conſules: & me omnia illa, quæ ad dignitatem, aliaq; tua pertinere commoda videbuntur, curaturum diligenter, perſuaſum habebis. Vale.*

Iam verò, vt vtilis cum primis eſt ac neceſſaria, per literas inſtituendarum cohortationum via & ratio: ita & quomodo ad eaſdem ſit reſpondendum, adoleſcentes obſeruare maximè oportet: qui grato animo aliorum agnoſcere adhortationes debent. Sumendæ igitur hîc ſententię erunt ex tribus locis: cauſis, adiun-

De ratione reſpondendi ad aliorum cohortatorias.

Sententiæ reſponſionum

ad literas exhortatorias. ctis, effectis: & oſtendendum: pondus apud nos magnum adhortationem amici habuiſſe: effeciſſe illud: vt nihil in votis habeamus magis, quàm eidem ſatis nos facere poſſe. Propoſita habere illam commoda, & multa, & magna: laudem, honorem, opes, &c. eſſe honeſtam quoque, æquam, iuſtam: prudentię & fidei plenam. Tum coluiſſe nos & obſeruaſſe ab ineunte ætate amicum: propter paternam neceſsitudinem, amorem noſtri ſingularẽ, prudentiam, autoritatem, promerita deniq; & plurima & maxima: ideoq́; neque iam ſine reprehenſione graui ab eius nos diſcrepare ſententia atq; monitis poſſe.

παθητικὰ argumenta. Motus duo hîc locum habent: αἰσχύνη pudor ſeu verecundia, & ἐλπὶς ſpes, quæ excitatur ὑποσχέσει, cum ſcilicet promittimus nos ſtudioſè diligenterq́; facturos ea, q̃ à nobis amicus requirit.

ἠθικὰ argumenta. Conciliantes verò ſententiæ ſunt, quæ laudem & cõmendationem, gratiarum actionem, grati animi pollicitationem, petitionem habent. Fauemus enim iis, qui adhortationibus locum relinquunt: qui earundem, & fidem, & prudentiá agnoſcunt: q gratias agunt: qui in amicorum ſeſe poteſtate futuros pollicentur.

Collocatio ar- Ad tractationẽ autem & col-

& collocationem harum ſententiarum ꝙ attinet, quatuor in reſpondendo obſeruandę partes erunt. Exordium, ꝗ conſtabit: aut ἐπαναλήψει, breui repetitione & commendatione inſtitutæ ab amico exhortationis. lib. 2. epiſt. 15. lib. 10. epiſt. 4. lib. 11. epiſt. 11. Aut reprehenſione & inſectatione maleuolorũ. lib. 11. epiſt. 21. Aut excuſatione neglecti in ſcribendo officij. lib. 10. epiſt. 4. Deinde Propoſitio, approbatione facta adhortationis, & pollicitatione eorum quæ à nobis requiruntur. lib. 2. epiſt. 15. lib. 10. epiſt. 4. lib. 11. epiſt. 11. Tum Confirmatio, quæ rationes continebit & argumenta, quibus ſcilicet impellamur vt exhortationi amici locum relinquamus, eaq; ſumentur, vel ab honeſtate & vtilitate ipſius adhortationis. lib. 10. epiſt. 4. Vel rerum & temporum conditione. lib. 2. epiſt. 15. Vel ingenio, moribus, conſuetudine noſtra. lib. 2. epiſt. 15. Vel eius qui ad nos ſcripſit, amore, fide, prudentia, autoritate. lib. 10. epiſt. 4. lib. 11. epiſt. 21. Poſtremò Concluſio: quæ abſoluetur ὑποσχέσει, & ἀξιώσει promiſsione & petitione. Nam & pollicebimur monitis nos amici obtemperaturos: & eundem ſimul rogabimus, vt deinceps quoque nos

gumentorũ in ſingulis partibus.

ſibi commendatos habere dignetur. lib. 2.epiſt.15.lib.11.epiſt.11.21.Interdum & refutatione eſt atq; excuſatione opus:cum aut ſuſpecti ſumus amicis facti:aut maleuolorum onerati mendaciis & calumniis lib.2.epiſt.15.lib.11.epiſt.21. Sunt aũt res & materię eiuſmodi reſponſionum q̃ in epiſt.Cic.famil. reperiuntur. Reſponſio ad adhortationem de Rep.defendenda.lib.10.epiſt.4.7.21. Ad adhortationem de vitanda offenſione potentum.lib.2.epiſt.15.lib. 11.epiſt.21. Ad adhortationem de inſidiis declinandis, animiq; adhibenda magnitudine.lib.10.epiſt.21.Ad adhortationem de opprimendis patriæ hoſtibus.lib.11.epiſt.11.Nos exercitationis gratia imitari conabimur epiſtolam 4. lib. 10.in qua Plancus Ciceroni pro adhortatione gratias agit, eidemq; obtemperaturum ſeſe promittit. Partes illius ſunt quatuor.Exordium repetitione & commendatione factum inſtitutæ adhortationis. Propoſitio, quæ approbationem habet admonitionis& pollicitationẽ obedientiæ.Confirmatio, quæ rationes ac cauſas complectitur,quibus nimirum adductus Plancus obtemperare Ciceroni velit: deſumptas ab vtili,& autoritate Ciceronis.

Materiæ reſponſionum ad epiſtolas adhortatorias.

Imitationis exemplum.

Con-

Cõcluſio officij promiſsione abſoluitur. Has ergo ſecuti partes ad ſuperiores literas exhortatorias reſpondebimus hoc modo.

I. *Perquàm gratæ mihi tuæ acceptæq́; extiterunt literæ.*

II. *Nam & animum in me beneuolum promptumq́; declararunt: & verò adhortationem continuerunt longè ſaluberrimam.*

III. *Reſpondiſſem ad eas citius, niſi te neſcio quò profectum eſſe audiuiſſem.*

IIII. *Neque enim officium in te vllum ſine magna ἀχαριςίας reprehenſione intermittere me poſſe intelligo.*

V. *Et quidem rei huius cauſas habeo plurimas & maximas: vel paternam amicitiam: vel meam in te obſeruantiam: vel denique beneficia, quæ in me hactenus contuliſti, & adhuc confers quotidie.*

VI. *Itaq; etiam atq; etiam rogo, hoc tibi perſuadeas, vnum te eſſe, quem parentis ego loco colam: & in quo ſpem meam omnem fixam locatamq́; habeam.*

VII. *Operam me quoq; daturum: vt tua apud me monita, & prudentiæ, & fidelitatis plena, eum quem debent locum inueniant: nec in capeſſenda Rep. officio defuiſſe meo cuiquam videar.*

VIII. *Pertinet hoc ſcilicet vt grauiter mones ad famam præclaram colligendam, & comparandam*

gloriam, quæ egregiis, vel in ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum meritis acquiritur.

IX. *Accedit deinde autoritas tua, quæ vt modò ſcripſi, apud me eſt tanta, vt à tuis diſcrepare conſiliis, religioni habeam.*

X. *Quantum ergo conſequi ſtudio: viribus eniti: autoritate qualicunq; efficere mea potero, in id vnicum incumbam: vt* Reip. *me verè fuiſſe amantem ac ſtudioſum, & qui nunc viuunt, intelligant: & grata aliquando poſteritas teſtetur.*

XI. Neq; *in cæteris etiam rebus committam: vt vllum meum factum abs te, aut aliis viris bonis reprehendi queat.* Vale.

DE SVASORIIS EPISTOLIS.

Sententiæ in ſuaſionibus adhibendæ.

SVaſoriæ epiſtolæ, *συμβουλευτικαὶ* appellatæ à græcis, ſunt, quibus in rebus dubiis atque incertis conſilium amico damus, eidemq; vt aliquid ſuſcipiat vel agat ſuademus. Sunt autem ſententiæ in his ſumendæ ex cauſis impellentibus & finalibus: ab honeſto, vtili, facili, iucũdo, neceſſario. Deinde ex adiunctis: perſonarum, loci, temporis, aliorumque notatis circumſtantiis, oſtendendum: faciẽdum, non intermittendum eſſe id, quo de agimus. Tum aliorũ quoq; bonorum virorum, ſimili in negotio cùm iudicia, tùm facta

facta in medium proferenda. Poſtremò etiam damna atq; pericula recẽſenda, quę, ſi contrà quid fiat, metuẽda. Nonnunquã & rationes refellendæ ſunt, q̃ obſtare videntur, quò minus noſtra locum inuenire conſilia poſsint, eædemq;, aut negãdę: aut eleuandæ atq; extenuandæ: aut aliæ contrariam in partem adferendæ, quæ æquè graues, vel etiã grauiores eſſe videntur. Eſt verò hîc quoq; opera danda: ne, q̃ ad conciliandum ſunt accõmodata, omittantur: ſed & ἐπαινέσεις collaudationes inſtituantur ingenij, prudentiæ, doctrinæ eorum quibus dare conſilium volumus: & modeſta atq; verecunda noſtrarum virium extenuatione arrogantiæ omnis ſuſpicio vitetur; & cauſæ proponantur breuiter, quibus ad dandum amico conſilium adducti fuerimus. Ad collocationem autem quod attinet, quinq; potiſsimum partibus Suaſoriæ epiſtolæ abſoluuntur, quarum prima Exordium ſententiis maximè ἠθικοῖς & conciliantibus conſtat, deſumptis: vel à συστάσει laude & commendãtione eius ad quẽ literas damus. lib.2.epiſt.18.lib.4.epiſt.7.8. Vel verecũda & modeſta noſtra extenuatione. lib.4.epiſt.7. Vel inſtitutæ ſcriptionis cauſis.lib.

Sententiæ conciliãtes.

Collocatio ſentẽtiarũ in ſingulis ſuaſionum partibus.

4.epiſt.8.9.10.Vel declaratione promptæ bene de amico merendi voluntatis. lib. 2.epiſt. 18. Pars altera Propoſitio ἔκθεσιν τῆς συμβουλῆς conſilij expoſitionem habet.lib. 2.epiſt. 18.lib. 4. epiſt.9.10. Aut σύστασιν τῶν κεφαλαίων capitum cõmendationem. lib. 4.epiſt.7. Tertia Confirmatio, ſuaſionis rationes atque argumenta complectitur, ſumpta,vel ab honeſto. lib.2.epiſt.18. lib. 4.epiſt 9.Vel vtili.lib.4.epiſt.7.10.Vel neceſſario.lib.4.epiſt.8. Vel iucũdo.lib. 4. epiſt.7.8.Vel circumſtantiis perſonarum. lib.2. epiſt.18.lib.4.epiſt.8. Loci.lib.4.epiſt.8.Temporis.lib.2.epiſt.18.Vel exemplis aliorum. lib.4. epiſt. 7. 8. Vel ſtudio, deſiderio, & voluntate cognatorum atq; amicorum. lib. 4. epiſt. 7. 10. Vel metu damni alicuius aut periculi.lib. 2. epiſt. 18.lib. 4. epiſt.7. Quarta Refutatio λύσιν continet illorum, quæ noſtra impedire conſilia poſſe videntur:factam iis modis, qui paulò ſunt antè indicati. lib. 4. epiſt. 10.lib.7. epiſt.9. Poſtrema Concluſio abſoluitur,aut ἀξιώσει petitione.lib. 4.epiſt. 10.lib.9.epiſt.2.Aut ὑποσιωπήσει pręciſione. lib.4.epiſt.8.10.Aut ὑποσχέσει,conſiliorum, ſtudiorum, officiorũ noſtrorum pollicitatione.lib.4. epiſt.7.8. Aut ἐπαναλήψει ἢ

ἀνακεφα-

ἀνακαινώσει, ſuaſionis repetitione ſeu renouatione. lib. 2. epiſt. 18. lib. 4. epiſt. 9. Aut ἀπολογίᾳ cauſis inſtitutæ ſcriptionis. lib. 2. epiſt. 81. Aut εὐχῇ voto, vt dij approbent ac fortunent, quod amicus egerit. lib. 2. epiſt. 18. Sunt autem res & materiæ variç, quæ in Ciceronis Epiſtolis ſuaſoriis reperiuntur. Suaſiones demandationis officij. lib. 2. epiſt. 18. Reditus in patriam maturandi. lib. 4. epiſt. 7. 8. 9. 10. lib. 7. epiſt. 32. operæ principi alicui nauandæ. lib. 7. epiſt. 8. 17. Vitandæ hominũ frequẽtiæ quęrendæq; ſolitudinis. lib. 9. epiſt. 2. Neque de Diſſuaſoriis epiſtolis ſeorſim, & copiosè vt agamus, neceſſe habemus: cùm contrariorum eadem ſit diſciplina & ratio: nec labore magno diſſuadere ſoleant ij, qui quomodo ſuadendum ſit, cognitum perſpectumq; habent. Sumuntur enim hoc in genere Epiſtolarum ſententiæ, vel à damno & periculo: vel inani & ſuperuacaneo: vel difficili: vel turpi: vel temporis, loci, perſonarum conditione: vel cura, ſolicitudine, obteſtatione liberorum, cognatorum, amicorum: vel aliorum iudicio & exemplis. Eſt etiam collocatio in his ita inſtituenda, vt primò Exordium ponatur: conſtans, aut noſtræ

Materiæ ſuaſionum in Epiſtolis Cic. fam.

De Epiſtolis diſſuaſoriis.

Sententiæ diſſuaſoriæ.

Collocatio in diſſuaſione obſeruanda.

pro amico curæ atq; ſolicitudinis declaratione. lib. 8. epiſt. 16. lib. 16. epiſt. 8. Aut excuſatione tarditatis, breuitatis, raritatis literarũ. lib. 6. epiſt. 20. 22. lib. 16. epiſt. 2. Aut laude & cõmendatione. lib. 7. epiſt. 21. Aut ἀφορμῇ occaſione ſcribẽdi. lib. 10. epiſt. 26. Aut reprehẽſione & obiurgatione molli. lib. 10. epiſt. 27. Pars altera Propoſitio ipſam diſſuaſionẽ & obteſtationem cõtineat. lib. 6. epiſt. 19. lib. 7. epiſt. 20. lib. 8. epiſt. 16. lib. 10. epiſt. 25. lib. 16. epiſt. 8. In parte tertia Cõfirmatione, argumẽtã diſſuadentia adhibeãtur, petita vel à damno & incommodo. lib. 6. epiſt. 20. lib. 8. epiſt. 5. 16. lib. 10. epiſt. 26. 27. lib. 16. epiſt. 8. Vel inani & ſuperuacaneo. lib. 6. epiſt. 19. 20. lib. 14. epiſt. 12. Vel turpi & indigno. lib. 6. epiſt. 22. lib. 10. epiſt. 25. 26. Vel circumſtantiis temporis. lib. 10. epiſt. 25. 26. lib. 16. epiſt. 8. Loci. lib. 7. epiſt. 20. Perſonę. lib. 6. epiſt. 22. lib. 10. epiſt. 25. 26. Vel cura ac ſolicitudine propinquorũ aut amicorum. lib. 6. epiſt. 22. lib. 8. epiſt. 16. Vel iudicio aliorum. lib. 10. epiſt. 25. 26. 27. Vel exemplis. lib. 10. epiſt. 25. In Cõcluſione deniq; ſit: aut admonitio & obteſtatio amici. lib. 6. epiſt. 20. lib. 8. epiſt. 16. li. 10. epiſt. 26. lib. 16. epiſt. 8. Aut ſentẽtię & argumentorum

præ-

prȩcipuorum repetitio.lib.*6*.epiſt.19.lib. 8.epiſt.16.lib.10 epiſt.25. Aut modeſta ſtudij atq; officij ὑπόσχεσις pollicitatio, lib. *6*. epiſt.22. Aut cauſæ inſtitutæ diſſuaſionis indicatio.lib.8.epiſt.5. Aut longioris diſſuaſionis præciſio.lib.7. epiſt.22.lib.10.epiſt. 25.27. Sunt aũt diſſuaſiones Ciceronis in Epiſt.variæ. Petitionis honorũ, dignitatis, officij.lib.10. epiſt.25.26. pacificationis inſtituẽdȩ. lib.10.epiſt.27. Defenſionis.lib.8.epiſt.16. Ambiendi principis aut alterius alicuius potẽtis gratiã. lib.*6*. epiſt.19. Continuationis belli.lib.*6*.epiſt. 22. Venditionis ædiũ & poſſeſsionũ paternarum.lib.7.epiſt.20. Dimicationis & prælij.lib.8.epiſt.5. Profectionis.lib.16.epiſt.8. Nos exercitij gratia imitabimur lib.2. epiſt.18. in qua Thermo ſuadet Cicero, vt prouincia Bithynia decedens, eidem quæſtorem ſuum præficiat. Partes epiſtolæ illius quatuor ſunt. Exordium conſtans laude atque commendatione Thermi: ſignificatione etiam promtȩ paratæq; bene de eodem merendi voluntatis. Propoſitio, quæ ipſam συμβουλὴν ſuaſionem & expoſitionem conſilij continet. Confirmatio quæ eiuſdem rationes atque argumenta complectitur, ab vtili

Materiæ diſſuaſionũ in epiſtolis Ciceronis.

Imitatio epiſtolæ ſuaſoriæ.

& honeſto deſumta. Concluſio inſtitutæ ſuaſionis cauſis: & ἀνακεφαλαιώσει καὶ ἐπαναλήψει renouatione atque repetitione rationum abſoluitur. Sententiæ eſſe tales poterunt.

I. *Grata tibi mea quantulacunq; eſſe officia ex animo lætor: etſi nouum in te hoc non ſit: quem gratum, qui norunt, deprehenderunt ſemper.*

II. *Itaq; deinceps quoq; tui magis mihi cordi honores erunt: licet tanti illi ſint, vt vel mea, vel alterius opus opera non habeant.*

III. *Ad ſucceſſorem verò eius quod attinet, qui nuper apud vos eſt mortuus, in eadem adhuc ſum ſententia, quam nuper ad te perſcripſi, coràm etiam communi noſtro amico expoſui; plurimorum te odia magnamq; tibi inuidiam conflaturum, ſi repulſam adoleſcens paſſus, atq; ignominia affectus aliqua fuerit.*

IIII. *Vt enim eruditionem & doctrinam ſilentio prætercam, hoc ipſo alios vincere competitores, viros optimos & doctiſſimos videtur, quod veſtra ille in ſchola ab ineunte ætate educatus, & te aliisq; præceptoribus eſt vſus.*

V. *Equidem eò res eſſe tuas* Dei *beneficio perductas video: vt aliorum tibi nocere ira atq; maleuolentia facilè nequeat.*

VI. *Veruntamen fratres aliosq; eius propinquos, non nulla præditos autoritate offendere te nolim,*

præſer-

præſertim iure: quos ad dignitates adhuc magnas venturos exiſtimo.

VII. *Vides autem cuiuſmodi ſint tempora: quàm facilè lædantur homines: ſæpè etiam illatas vlciſci iniurias conentur tum, cum euulſas eas è memoria ſepultasq́; obliuione eſſe arbitramur.*

VIII. *Cur ergo periculum tibi ipſi aut tuis crea res? præſertim cum ſine reprehenſione cuiuſquam aliis præponere eum poßis.*

IX. *Quod enim ætas obiicitur, tanti eſſe ponderis momentiq́; non exiſtimo: vt egregium impedire adoleſcentem debeat.*

X. *Fuerunt maiorum & parentum noſtrorum imò noſtra quoq; memoria non pauci, qui admodum adoleſcentes ad officia adhibiti grauia, præclarè ſeſe geſſerunt.*

XI. *Et verum eſt, quod quodam in loco Cicero affirmat: ab excellenti eximiaq́; virtute ætatis expectari progreſſum non oportere: eiuſdem celeriorem quàm huius curſum eſſe.*

XII. *Ac licet (vt labi atq; errare facilè poſſumus) fortè quid ille offenderit: tamen vt adoleſcenti venia ei dari poterit citius; & hac ipſa quoq; de cauſa correctionem atq; emendationem idem facilius admittet.*

XIII. *Atq; hæc neceſſariò ad te hoc ſcribenda eſſe tempore duxi. Quicquid hac in re egeris, id Deus Opt. Max. fortunet, rogo.*

XIIII. *Verùm ſi me audies: plurimorum hominum offenſiones declinabis: excitabis ad ſtudium ac diligentiam adoleſcentes bonos: bene deniq; tibi ac collegis tuis conſules. Vale.*

De ratione reſpondendi aliorum literis ſuaſoriis, aut diſſuaſoriis.

Ad hunc ergo modum Ciceroniana veſtigia ſecuti ſuaſiones atque diſſuaſiones inſtituere poterimus. Reſtat vt quænam ad eiuſmodi amicorum literas reſpondendi ſit ratio tenenda, oſtendamus. Eſt autem ea duplex. Vel enim amici conſilio acquieſcimus: vel illud ipſum reiicimus atq; improbamus. Cum obtemperare volumus; ſententiæ erunt adhibendæ laudatoriæ, gratias agentes, promittentes, tùm obedientiam, tùm grati animi beneuolentiam & memoriã perpetuam. Quòd ſi verò datum improbare neceſſe conſilium habuerimus: laudabimus ſtudium, fidem, & beneuolentiam amici: rogabimus eundem, vt in partem optimam improbationem noſtram accipiat: rationes, ex cauſis, & adiunctis modeſtè adferemus, quibus adducti amici obtemperare conſilio non poſsimus: quod ſcilicet illud, vel parum honeſtum, vel detrimentoſum, vel difficile & periculoſum, vel graue ac moleſtum: obſtent tempora: impediant perſonæ: ſint loci, & circumſtantiæ

Sententiæ in reſpondendo obſeruandæ.

ſtantiæ quæ diuerſum ſuadeant. In cæteris deniq; rebus noſtram obedientiã pollicebimur. Tractatio verò ita eſt inſtituẽda: vt in approbatione conſilij Exordiũ ſit ἐπαινετικὸν καὶ συςατικὸν, laudem habeat & commendationem amici. lib. 4. epiſt. 11. lib. 11. epiſt. 29. Vel ſignificationem doloris percepti ex literis, & ſuſpicionibus amici. lib. 2. epiſt. 16. Propoſitio ſententiæ expoſitione, & promiſſione conſtet. lib. 2. epiſt. 16. Confirmatio rationes atque cauſas complectatur, cur amici obtemperare conſilio velimus, ſumptas ab vtili. lib. 2. epiſt. 16. Amici admonitione & voluntate. lib. 4. epiſt. 11. lib. 11. epiſt. 29. Studiis & vita noſtra anteacta. lib. 2. epiſt. 16. Temporis, loci, perſonarum circumſtantiis. lib. 2. epiſt. 16. Exemplis aliorum. lib. 2. epiſt. 16. lib. 4. epiſt. 11. Concluſio abſoluatur: vel εὐχαριςίᾳ gratiarum actione, & ὑποσχέσει pollicitatione memoriæ, grati animi, beneuolentiæ. lib. 4. epiſt. 11. lib. 11. epiſt. 29. Vel declaratione ſententiæ & voluntatis. lib. 11. epiſt. 16. Vel ἀξιώσει petitione, vt & porrò nos noſtraque ſibi commendata habere amicus dignetur. lib. 2. epiſt. 16. lib. 11. epiſt. 29. In improbatione verò conſilij primùm in

Tractatio ſententiarum.

Collocatio ra

ſurpanda in improbatione conſilij.

Exordio σύστασις erit commendatio & laus officij, beneuolentiæ, fidei, curę, diligentiæ amici. lib. 5. epiſt. 15. Deinde in propoſitione modeſtè oſtendetur: nos amici acquieſcere conſiliis non poſſe. ibid. Tum in Confirmatione, ex cauſis & adiunctis rationes adferentur, cur illud facere nequeamus. ibid. Poſtremò in Concluſione cum conſilij & ſentētiæ repetitione pollicitatio adhibebitur. ibid. Sunt autem huius generis epiſtolarum res atque materiæ variæ apud Ciceronem in familiaribus Epiſtolis. Reſponſiones ad diſſuaſionem defenſionis in bello. lib. 2. epiſt. 16. Suaſionem reditus maturandi. lib. 4. epiſt. 11. lib. 5. epiſt. 15. Suſcipiendæ profectionis. lib. 11. epiſt. 29. Nos exercitij cauſa hanc poſtremam imitari conabimur, quia præ cæteris elegans eſt & erudita. Partes illius tres ſunt: Exordium laude & commendatione Oppij factum. Confirmatio, commemoratione & amplificatione officiorum conſtans. Concluſio petitione atq; pollicitatione abſoluta. Nā & beneuolentiam illam erga ſeſe vt conſeruet rogat Cicero: & gratum ſeſe fore pollicetur. Hanc igitur imitati gratias amico agemus, qui vel profectionis inſtituen-

Materiæ reſponſionū ad epiſtolas συμβουλευτικάς.

Imitatio reſponſionis.

tuendæ, vel ſtudiorum ineundæ rationis author nobis & ſuaſor extitit, hoc modo.

I. *Dubitanti mihi, quod multi adhuc meorum familiarium norunt, de inſtituenda ratione ſtudiorum, quòd vtramq; in partem nõ pauca erant, quæ dubium incertumq; me reddebant: ad dubitationem omnem excutiendam, tua mihi plurimum prudentia & autoritas profuit.*

II. *Neq; enim literis modò tuam mihi mentem aperuiſti: verùm etiam eandem latiùs ab illo explicari voluiſti, cui eas tradidiſti.*

III. *Semper ego in te tria illa, quæ in conſulendo maximè requiruntur, deprehendi: prudentiam, fidem, beneuolentiam.*

IIII. *Cum initio paterna ſchola relicta, quò mihi proficiſcendum exiſtimares, te conſuluiſſem: ad hanc potiſsimum Academiam me vt conferrem, autor mihi ſuaſorq; extitiſti.*

V. *Ex quo, quàm eſſes in me meaq; ſtudia animatus præclarè, intellexi: vt & eo, quod cum neſcio quibus rationibus moti de me reuocando parentes cogitarent, tu ſolus reſtitiſti, meaq; commoda antiquiora, quàm illorum voluntates habuiſti.*

VI. *Grauiſsimũ verò de me iudicium feciſti tum, cum nonnulli delatione falſa animũ à me tuum abalienare conarentur: tu eadem neglecta, mea promouere ſtudia non deſiiſti.*

VII. *Quod ego niſi debita obſeruantia memoriaq́; perpetua agnouero: ipſe me nõ bonorum tantum amore atq; patrocinio, verùm etiam communi hac luce indignum iudicabo.*

VIII. *Interim te etiam atq; etiam rogo: amorem iſtum in me tuum conſerues: ſtudia etiam mea resq; alias commendatas tibi habeas: quæ quonam ſint in loco, ex eo, qui haſce tibi literas tradit, cognoſces. Vale.*

DE PETITORIIS EPISTOLIS.

Petitoriarũ epiſtolarum utilitas.

VSitatiſsimum eſt epiſtolarum genus quod ἀξιωτικὸν græci & παρακλητικὸν, latini petitorium appellant: neq; quiſquã reperitur, qui non petere interdum aliquid ab amico neceſſe habeat. Itaq; eius quoq; diligenter eſt ratio cognoſcenda: & conſiderãda ante omnia, cùm res ipſa, quã petere volumus: tùm perſona à qua impetrare aliquid noſtris precibus cupimus. Sunt enim res quædam honeſtæ, vtiles, iucundæ, faciles, quas apertè, directè, ſine circuitione vlla petere poſſum⁹. Sunt deinde aliæ moleſtæ, difficiles, turpiculæ, quæ inſinuatione, excuſatione, veniæ deprecatione opus habent. Ita perſonæ à quibus aliquid petendum: aut ſuperiores ſunt: aut pares, ætate, doctrina, poten-

Perſonarum & rerum in petendo diligens ratio habenda.

potentia, dignitate: vbi decori ratio habenda, ne & ſpe atque expectatione noſtra fruſtremur, & ſimul in grauem bonorum atq; prudentum reprehenſionem incurramus. Sumuntur autẽ in his epiſtolis ſententiæ docentes & probantes: vel ab honeſto, vel vtili, vel neceſſario, vel iucũdo, vel facili: & oſtenditur, rem eam, q̃ petimus, non eſſe turpem, ſed honeſtam: prodeſſe nobis: conducere illi à quo petitur: vel etiam toti reip. commodare: eſſe talem vt intermitti nequeat: pręſtari facilè ab amico poſsit. Vel promiſsis antè factis, aut etiam collatis in nos beneficiis, quæ celebranda atq; amplificãda, vt eius à quo petimus aliquid, gratiam aucupemur. Mouentes hîc locum ſententiæ habent, quæ aut miſericordiam, aut ſpem excitant. Tum enim maximè aliorũ admittere preces homines ſolent: cum vel commiſeratione quadam afficiuntur: vel emolumenti ſeſe inde quid percepturos ſperant. Conciliantibus verò maximè hîc eſt ſententiis opus, propterea quod neceſſariò eius nobis eſt gratia atque beneuolentia colligenda, à quo petere aliquid volumus. Sunt autem ſententiæ tales: primum ἐπαινετικαὶ ϗ συστατικαὶ laudem

Petitoriarũ epiſtolarum ſententiæ docẽtes & probantes.

Sententiæ παθητικαὶ mouentes.

Sententiæ ἠθικαὶ conciliantes.

& prædicationem continentes, probitatis, integritatis, liberalitatis, humanitatis, cæterarumq; virtutum eius ad quem ſcribimus. Deinde προληπτικῇ καὶ προθεραπευτικῇ occupatione & præmunitione facta; qua petitionis à nobis impudentiam remouemus: vel πεποιθήσει fiducia promta certaque indicata: cum affirmamus ſcilicet, non rogare nos velle amicum, neque illud pati noſtram amicitiam, mutuis officiis atque ſtudiis iamdudum confirmatam; vel ἐνδείξει ſignificatione lætitiæ & voluptatis, quam percipiamus ex beneuolentia aut indicio amici: vel εὐχῇ voto, vt officiis atq; ſtudiis noſtrum erga eum, à quo aliquid petimus animum declarare gratum queamus: vel querela & reprehenſione, ſed admodum breui, tecta, modeſta. Ad collocationem verò iſtarum ſententiarum quod attinet quinque plerunque petitoriarum epiſtolarum apud Ciceronem partes reperiuntur: quarum prima Exordium eſt, quod concilianres ſententias habet, factas: aut laude eius quem rogamus, vt lib. 7. epiſt. 30. lib. 15. epiſt. 4. Aut ſignificatione ſpei ac fiduciæ præclaræ de fide, beneuolentia, liberalitate, humanitate amici conceptæ. lib. 5. epiſt.

Collocatio argumentorũ & ſententiarum in ſingulis petitoriarum epiſtolarum partib.

epiſt. 9.12.lib. 11. epiſt. 2.4.lib.15.epiſt.1.4.
13. Aut excuſatione modeſta. lib.5. epiſt. *Exordia petitionum.*
12. Aut lætitię & voluptatis declaratione, lib.10.epiſt.9.li.13.epiſt.68. Aut voto.lib. 15.epiſt.13. Aut querela & reprehenſione breui atque modeſta. lib. 11. epiſt. 26. lib. 16. epiſt. 26. Pars altera Narratio breuem *Narrationes petit.* eius quod rogare volumus expoſitionē complectitur.lib.10.epiſt.9.lib.11.epiſt. 2. 4.lib. 15. epiſt.1.4. Pars tertia eſt κατάστασις *Propoſitiones petit.* Propoſitio : ἀξιώσει petitione breui atque ſimplici conſtans. lib. 5. epiſt. 12. lib. 7.epiſt.19.lib.11.epiſt.2.lib.12.epiſt.14.lib.13. epiſt.68.73.lib.15.epiſt.1.4.20.Pars quarta *Confirmationes petit.* Confirmatio argumenta continet, quæ mouere amicum poſſe videtur, vt locum noſtris precibus relinquat. Huius generis ſunt,quæ modò indicata, petita ab honeſto.lib.5.epiſt. 12.lib.11. epiſt.2.lib.12.epiſt.14.lib.13.epiſt.74.lib.15.epiſt.4.13. Vtili,lib.7.epiſt.30.lib.12.epiſt.14. Neceſſario.lib.11.epiſt.2.26. lib.15.epiſt.1. Iucundo.lib.5.epiſt.12. Facili. lib.15.epiſt.13.20. Promiſsis factis.lib.12. epiſt.14. Præſtitis antè beneficiis. lib.5. epiſt.12.lib.11. epiſt. 2.lib.13.epiſt.73.li.15.epiſt.4.13.Pars quinta & poſtrema Concluſio abſoluitur, aut *Concluſiones petit.* ὑποσχέσει pollicitatione animi grati, & ſtu-

diorum atque officiorum modeſta delatione. lib.5. epiſt. 12.lib.12. epiſt.14.lib. 13.epiſt.68.lib.15.epiſt.1.8.. Aut excuſatione & indicatione cauſæ: cur denuò, vel pluribus verbis ab amico aliquid petamus. lib.5.epiſt. 12.lib.11.epiſt.2. Aut ἀνακαινώσει καὶ ἐπαναλήψει τῆς ἀξιώσεως renouatione ac repetitione petitionis. lib.7. epiſt. 30. lib.10.epiſt.9.lib.11.epiſt. 2.4.lib.13. epiſt. 14.lib.15. epiſt.4.13.20. lib.16. epiſt.25.26.

Materiæ petit. in Cicer. epiſtolis variæ.

Sunt autem res & materiæ quæ in petitoriis epiſtolis apud Ciceronem reperiũtur variæ. Petitiones auxilij & ſubſidij contra hoſtes.lib.10.epiſt.24.lib. 11.epiſt. 9.26.lib.15.epiſt.1. Præmij, laudis, honoris.lib. 5.epiſt. 12. lib.10. epiſt. 9. lib. 11. epiſt.4.lib. 12.epiſt.14. lib.15. epiſt.4.10.13. Liberæ atq; ſolutæ relinquendæ prouinciæ.lib.3.epiſt.2. Cõmendationis lib.7.epiſt.30.Literarũ lib.2. epiſt.11.lib.13.epiſt. 26.68.lib.15.epiſt.20.lib.16.epiſt.25.26. Declarandæ voluntatis. lib.11.epiſt.2. Liberationis captiuorum.lib. 13.epiſt.73. Defenſionis & patrocinij. lib. 2.epiſt.9. lib. 6. epiſt. 16.lib.11.epiſt.4. 19.lib.15.epiſt. 6. 7.10.12. Succeſsionis in prouincia. lib. 15. epiſt.7.

Imitatio petitionis apertæ.

Eſt eiuſdẽ generis & illa in epiſt. ad Atticum, lib. 4. epiſt. 13. quam quia maxi-

maximè inſtituto noſtro accommodata videtur, imitari conabimur. Rogat enim in ea Atticum Cicero, vt libros quoſdam Varronis ſibi concedat, & de omnibus rebus ad ſe perſcribat. Partes quatuor ſunt. Exordium occaſione & cauſa conſtans inſtitutæ ſcriptionis. Propoſitio, ἀξιώσει petitione facta. Confirmatio, rationes continens petitionis ab vtili & neceſſario ſumptas. Concluſio petitione abſoluta. Hanc ergo ſecuti amicum rogabimus, vt, dum abeſt & peregrinatur, parentis ſui nobis patere bibliothecam patiatur, & cùm de ſuis, tùm aliorum ad nos rebus ſcribat.

I. *Scripſit ad me cõmunis noſter amicus Philippus, te iter in Italiam opinione ſuſcepiſſe tardius: q. valetudine minus commoda vtereris.*

II. *Si melius iam vales, ex animo lætor: Deum etiam oro: peregrinationes iſtas tuas vt fortunet.*

III. *Interim te rogo, ad cognatos tuos perſcribas: vt mihi non ſecus, ac ſi ipſe adeſſes, parentis tui, piæ memoriæ, bibliotheca pateat.*

IIII. *Opus enim mihi eſt hiſtoricis quibuſdam, ad ea quæ in manibus nunc habeo, & tibi aliiſq; hominibus doctis non, opinor, ingrata erunt.*

V. *Quod ſi apud alios reperire eos poſſem: hac mea petitione moleſtus tibi eſſe nollem.*

VI. *Si quid etiam noui fortè habes de rebus bellicis, aut aliis, quas admodum ſitiuè odorari te ſcio, ad me ſcribas velim.*

VII. *Quod ſi nihil occurrat: vel hoc ſcribas, te quod ſcribas non habere.*

VIII. *Nunquam enim tuæ mihi literæ: aut intempeſtiuæ, aut ingratæ erunt: ſiue cum argumento illæ, ſiue ſine argumento conſcriptæ fuerint.*

IX. *Quanquam quomodò ſcribendi deſtitui argumento poßis non video, cum in peregrinatione iſta multa te videre: audire multa: multis multorum interreſſe colloquiis neceſſe ſit.*

X. *Interim tamen, vt verum fatear, illa ipſa tua peregrinatio ſollicitum tui in me deſiderium parit.*

XI. *Amici etiam & cognati tui, quàm te expectent auidè, ex ipſorum ad te datis literis cognoſces.*

XII. *Itaq; operam dabis: vt abſoluto ſtudiorum curſu totoq; itinere è ſentẽtia confecto, primo quoquo tempore ad nos redeas.*

XIII. *Neq; committas, vt idem tibi quod Vlyßi accidat, qui ex longa atq; diuturna peregrinatione domum reuerſus, à ſuis agnoſci amplius non potuit. Vale.*

Ad hunc ergo modum apertè & directò ab amico petere aliquid poterimus. *Obliquæ & tectæ petitiones.* Quod ſi verò obliquè ſunt tecteq; petitiones inſtituendæ: vel quia res ipſa, quam petimus, parũ honeſta, vtilis, facilis eſſe videtur:

videtur: vel quia is ad quem ſcribimus, non vſque adeò nobis fauet: vel nos minus verecundè atque modeſtè rogare illud iudicari poſſumus, quod ad noſtram laudem ac gloriam facit: ad imitandum maximè proponi poterunt epiſt. 12. lib. 15. 2. lib. 11. 4. lib. 15. Et. 8. lib. 10. ad Atticum in qua Antonius admodum artificiosè Ciceronem rogat: ne cum Pompeio ſeſe coniungat, ſed in Italia maneat. Et quæ ſequitur 9. in qua ab eodem Cæſar petit, vt inclinata iam re à ciuilibus abeſſe controuerſiis velit. Nos in manus ſumemus epiſt. 2. lib. 11. fam. in qua obliquè Brutus & Caſsius Antonium rogant: vt ſibi ſignificet, cur milites conuocarit: & an per eoſdem tuti in vrbe eſſe poſsint. Partes illius quinque ſunt. Prima Exordium, in quo optima quæque de Antonio polliceri ſeſe ſibi Brutus & Caſsius ſimulant. Altera Narratio eſt: breuem rei ipſius, & veteranorum ad vrbem frequentiæ expoſitionem continens. Tertia Propoſitio *ἀξίωσιν* petitionem habet. Quarta argumẽta petitionis complectitur, ab officio Antonij: Bruti & Caſsij voluntate: amicorum cura atque ſolicitudine deſumpta. Quinta & poſtrema Concluſio, petitio-

Imitatio obliqua petitionis.

nis repetitione & occupatione abſoluitur, qua metus atq; formidinis à ſeſe ſuſpicionem viri fortes remouent. Quæ imitando effingi & ad vſum transferri poterunt, quoties ſuſpectos aliquos habemus, ideoq; eoſdem rogamus, vt ſui conſilij atque inſtituti nobis rationes aperiant, hoc modo.

I. *Niſi tua mihi cognita fides atq; beneuolentia eſſet, haſce ad te iam literas non darem.*

II. *Quas etiã, quia ita es animatus, in partẽ bonã accipies: & reſpõdere mihi minimè grauaberis.*

III. *Plurimorum, & literis, & nunciis ad me perfertur, magnam militum multitudinem tuo in agro iam conueniſſe, multoq; maiorem adhuc expectari quotidie.*

IIII. *Te ſuſpectum ſi haberem, contra amicitiã facere viderer.*

V. *Sed certè, cum de tuis tuorumq; cõmodis non minus atq; meis ſolicitus hactenus ſemper fuerim: de periculis etiam, quæ tibi impendebant, te vt decet amicum, fideliter monuerim, non indignum me iudicabis, quem conſilij tui participem facias, ea maximè in re, quæ me quoq; attingit.*

VI. *Quamobrem etiam atq; etiã à te peto: quàm primum certiorem me reddas: exiſtimes ne in tanta militum licentia tuta noſtra futura.*

VII. *Equidem minari mihi apertè eos audio.*

VIII.

VIII. *Quod tamen tuo fieri mandato nemo credet, niſi fortè leuitatis & inconſtantiæ, addo etiam perfidiæ te inſimulare velit.*

IX. *Me nihil aliud vnquam, quàm religionis puritatem, pacem, & libertatem ſpectaſſe, tu ipſe teſtis mihi eſſe potes, quò cum mea ſum communicare conſilia ſolitus.*

X. *Itaq; neque quiſquam aut fallere me magis: aut damno afficere maiori poteſt, quàm tu, cui vni maximè ego credidi.*

XI. *Longè abeſſe illud à tua fide & conſtantia, ſcio.*

XII. *Sed tamen hæc ad te vt ſcribam, amicorum crebræ literæ faciunt, qui de me anxij atq; ſoliciti eſſe videntur.*

XIII. *Occurrũt & illa: facilè honeſtas rei cauſas poſſe obduci: ſæpè, vel inuitos ac repugnantes ad bellum à pacis oſoribus inflammari: retineri in officio difficulter milites.*

XIIII. *Reſcribas ad hæc mihi primo quoque tempore rogo.*

XV. *Nam illud leue admodum eſt, quod prætenditur, propterea militem conſcriptum eſſe, vt cõtra aliorum vim & iniurias agrum ille tuum defendat.*

XVI. *Quem enim damnum dare tibi poſſe cenſes, cum de noſtra aliorumq; vicinorum tibi fide ac beneuolentia conſtet?*

XVII. *Ego ſanè, vt nullius rei malè mihi ſum*

conſcius,ita minimè quoque mihi metuo.

XVIII. *Neq; accidere quicquam mihi poſſe video ſine aliorum pernitie, atq; adeò Germaniæ totius perturbatione.*

De ratione reſpondendi ad aliorum literas petitorias.

Atque hæc de petendi ratione breuiter ſint dicta: ſequitur de reſpondendi modo vt agamus, q duplex eſt. Aut enim locum amici petitioni relinquimus: ſi ſcilicet honeſta illa: ſi vtilis: ſi talis extiterit, vt non ἀδύνατον eſſe videatur. Aut eandem reiicimus: quia: vel turpis: vel ἀδύνατος: aut ſaltem difficilis; vel denique detrimentoſa ei qui ad nos ſcribit. Vbi ſatisfacere amici petitioni placuerit, pollicitatio adhibenda erit ſtudij & officij noſtri, eiuſdemq; rationes atque cauſæ adferendæ: quod nimirum res illa, quæ petitur, cum honeſtate ſit, vel vtilitate coniuncta: neque vſque adeò ardua & difficilis: is qui petit, de nobis aut noſtris meritus præclarè: ea præditus pietate, doctrina, virtute, vt denegare ei nihil poſsimus. Quod ſi verò id quod petit amicus improbare, aut nos poſſe non facere, oſtendere voluerimus: iiſdem ex locis rationes adferendæ erunt contrariæ: & indicandum gratificari ea in re amico nos non poſſe: quod ſit, aut turpis illa: aut pernitio-

Sententiæ vſurpandæ cū improbanda aut denegan da petitio.

pernicioſa:aut minus neceſſaria: aut difficilis: & impedimenta multa magnaq́; obiiciantur; quæ à perſonis, locis, temporibus ſumenda. Refellenda quoq; argumenta hîc erunt in petitione ab amico adhibita:vel negando, vel extenuando,vel compenſando: & docendum, cõmodum,verbi gratia,nullum hîc eſſe: aut non eſſe tantum, quantum exiſtimetur: aut plura, altera ex parte, damna ſecum atque incommoda adferre. Quemadmodum verò ſententiæ diuerſæ adhibendæ, cùm admittere, aut repudiare aliorũ petitiones volumus: ita quoque tractatio & collocatio diſsimilis eſſe debet. Et quidem qui annuit, ab ἐπαναλήψει breui repetitione acceptarum literarum, & ſcribendi occaſione ordietur. lib. 11. epiſt. 6. 14. Deinde propoſitionem ſubiũget ὑποσχέσει pollicitatione factam eorum quæ petit amicus.lib.11. epiſt.6.14. Tum oſtendet, quæ aut iam egerit:aut acturus ſit:& huius cauſas atque rationes adferet. lib.1. epiſt.9.lib.11.epiſt.6.14. Poſtremò concludet, vel εὐχῇ voto, vt proſperè feliciterq́; omnia amico ſuccedant.lib. 11. epiſt. 14. vel ὑποσχέσει pollicitatione noua, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturũ ea ſe eſſe, quæ

Sententiarũ in reſpondẽdo tractatio & collocatio vt inſtituenda.

ad amici augendam dignitatem, aliaque prouehenda commoda pertinere videbuntur. lib.1.epiſt.8.lib.11.epiſt.6. Qui verò id q; petitur recuſat, cautè admodum hoc accurateque vt faciat, neceſſe habet: propterea quod amico petenti aliquid denegare graue admodum, interdum etiam periculoſum eſt. Tractatio ergo ita hîc erit inſtituenda: vt Exordium, vel ſignificationē habeat noſtri doloris & ſtudij erga amicū. lib.15. epiſt.5. vel ἀφηγήσεις narrationes, ſcribendi occaſiones & ad rem ipſam aditus cōtinentes. lib.2. epiſt. 17. lib.6. epiſt.10.20. lib.10. epiſt.22. Pars altera Propoſitio, aut reprehenſione amici atq; expoſtulatione fiat. lib.2. epiſt.17. lib. 5. epiſt.10. aut petitione vel dehortatione ἀποτροπῇ; ne quid idem curet amplius, aut petat. lib. 6. epiſt.19. Tertia Confirmatio cauſas & rationes cōtineat, cur effici atq; impetrari non poſsit id quod petitur, deſumptas: vel à perſonis, & offenſione, aut maleuolentia eorū à quibus aliquid impetrandum. lib. 2. epiſt. 17. lib. 5 epiſt. 10. lib. 6. epiſt. 19. Vel ſceleribus & flagitiis illorum pro quibus deprecationes atq; interceſsiones fiunt. lib. 5. epiſt 10. Vel temporum conditione. lib.2. epiſt.4. Vel

agendi modo & difficultate.lib.10.epiſt. 22. Vel teſtimonio ac iudicio bonorum virorum.lib.5. epiſt.10.lib. 15.epiſt.5. Vel inutili & ſuperuacaneo. lib. 6. epiſt. 19. Poſtrema deniq; pars Concluſio abſoluatur, aut petitione.lib.2. epiſt.4.lib.6.epiſt.19.lib.15.epiſt.5.aut expoſitione cauſarum inſtitutæ ſcriptionis.lib.15.epiſt.5. Aut ὑποσχέσει officij atq; ſtudij pollicitatione.lib.5.epiſt.10.li.6. epiſt.19.lib. 10.epiſt. 22. Sunt autem eiuſmodi reſponſionum variæ in Ciceronis epiſtolis materiæ. Reſpõſiones ad petitionẽ defenſionis, honoris & dignitatis.lib.11. epiſt.6.lib.12.epiſt.7.Impetrandæ ſupplicationis.lib.15. epiſt.5.Commendationis.lib.2. epiſt. 17. Subſidij,& pecuniæ.lib.11.epiſt.14.Curationis ludórũ.lib.6.epiſt.19.Literarũ.lib. 2.epiſt.4. Orationis. lib.19.epiſt.12.Liberationis & dimiſsionis captiui.li.5.epiſt. 10. Eſt eiuſdẽ generis & illa ad Att. lib. 3. epiſt.7. in qua Attico Cicero reſpõdet, & cur eius petitioni ſatisfacere nequeat, oſtendit.Et lib.9.epiſt.13.vbi Cæſari reſpõdetur, qui à Cicerone contenderat, vt ad vrbem ſibi præſtò eſſet.Hanc nos poſtremã imitari conabimur:cuius partes ſunt quatuor. Exordiũ ἐπαναλήψει repetitione

Materiæ reſponſionum ad aliorum petitiones in Ciceronis epiſtolis.

argumenti literarum Cæſaris, & ſtudij atque voluntatis promptæ ſignificatione conſtans. Propoſitio modeſta ac verecunda recuſatione eius quod petebatur facta. Confirmatio denegationis atque recuſationis argumenta continens, ab vtili & honeſto deſumpta. Concluſio, gratiarum habens actionem, & nouam petitionem. Ad huius igitur imitationẽ Magiſtratui alicui, ad docẽdi, vel in eccleſia, vel ſchola nos munus vocanti reſpondebimus, & denegationis atq; recuſationis cauſas modeſtè exponemus hoc modo.

I. *Vt literas ego veſtras legi, Viri ampliſſimi, Dómini obſeruantia perpetua colendi, quibus honeſtiſſimo liberaliſſimoq; ſtipendio oblato mecum agebatis, meam vobis operam vt addicerem: incredibili profectò ſum lætitia affectus.*

II. *Etenim, ſi Demoſthenem illum Athenienſem aquam ferentis mulierculæ delectatum ſuſurro fuiſſe legimus, quid mihi, homini, nec ab ingenio, nec doctrina magna inſtructo animi eſſe putatis, qui tot ac tantorum virorum egregiam in me voluntatem, præclarum de ſtudiis factum iudicium intelligo.*

III. *Equidem iam ante inaudieram, vos pro veſtra ſingulari pietate ac ſapientia de literarum ludis re[illegible] ornandis eandemq; a[illegible]rem viris accerſendis doctis conſilia tractare.*

IIII. Eam

IIII. *Eam verò ad prouinciam me aptum atq; idoneum iudicatum iri, nunquam crediſſem.*

V. *Itaq; quò magis præter ſpem hoc meā & expectationem accidit, eò plus veſtro me debere amori agnoſco, qui ſcilicet ad me vocandum vos impulit.*

VI. *Atq; vtinam is ego eſſem, qui veſtram aliorumq; de me concitatam ſuſtinere exiſtimationem poſſem.*

VII. *Sed noui ego meo me pede metiri: quàm anguſta mihi ſit acciſaq; eruditionis ſuppellex, ſcio.*

VIII. *Voluntatem fortè & conatum quantulumcumque benè de adoleſcentum ſtudiis merendi profiteri audeo: præter verè eundem quod pollicear non habeo.*

IX. *Verum, vt vt hæc ſint, nullam, me Chriſte, Rempub. noui, in qua, ab hac vrbe vbi receſſero, rerum mearum ſedem collocare fixam malim, quàm veſtra: vtpote clara, nobili: piis, doctis, prudentibus viris affluente: ab iis omnibus egregiè parata, quæ in bene conſtituta Repub. requiri, & ſolent, & debent.*

X. *At non libera hîc ſolutaq; mea eſt voluntas.*

XI. *Aliquot enim iam ſunt anni, cum hanc ego in vrbem veni: tot etiam tantâq; ab eadem beneficia accepi, & adhuc accipio quotidie, vt ſine ſumma ἀχαριστίας reprehenſione deſerere eam nequeā.*

XII. *Quamobrem vos ego viri ampliſſimi ro-*

go & oro: vitio hoc mihi minimè detis: quod de referenda gratia bene de meritis magis, quàm vel honoribus. vel opibus augendis ſolicitus ſum.

XIII. *Neq; dubito quin, quæ veſtra eſt cùm prudentia, tùm humanitas, impetraturus hoc ſim à vobis facilè: præſertim ſi amicos apud vos meos audire volueritis, ad quos de rerum mearum ſtatu atq; cauſis quæ me impediunt, quo minus gratificari vobis poſſim, copioſè ſcripſi.*

XIIII. *Interim vt pro hoc tam honorifico de me meiſq; ſtudiis facto iudicio gratias quas poſſum vobis, & ago, & habeo maximas: ita illud quoque ſubmiſſè peto: in clientũ veſtrorũ me album aſcribere, hocq; perſuaſum habere dignemini, operam me daturum ſedulò: vt mea, licet exigua atq; tenuia officia vobis liberiſq; veſtris prompta ſemper parataq; fuiſſe intelligatis.*

De ratione agendi gratias iis qui precibus noſtris locum reliquerũt.

Iam verò & rationem atque viam noſſe oportet inſtituendæ gratiarum actionis apud eos qui locum precibus noſtris reliquerunt. Quanquam ex iis quæ in cõmendatitiis ſunt epiſtolis indicata, haud difficulter intelligi illa poſſe videantur.

Sentẽtiæ εὐχαριστικαί.

Nam & hîc ſententiæ ſunt adhibendæ ἐπιδεικτικαὶ laudantes, αὐξητικαὶ amplificantes, εὐχαριστικαὶ gratias agentes: & præſtitum oportet beneficium, vt præclarum, vt vtile, vt neceſſarium laudare: amplificare,

care, vel comparatione, vel notatione fa-
cta circumſtantiarum, loci, temporis,
perſonæ, modi: & grati animi memo-
riam perpetuam, & ſtudia atque officia
polliceri. Collocatio ita eſt inſtituenda: *Collocatio*
vt Exordium ἔνδειξιν indicationẽ habeat *ſententiarũ.*
eorum, ex quibus amici ſtudium & vo-
luntatem cognouimus. lib. 10. epiſt. 11.
lib. 15. epiſt. 11. Pars altera Propoſitio εὐχα-
ριστίαν gratiarum actionem perpetuæque
memoriæ pollicitationem contineat. i-
bid. Tertia ἀπαρίθμησιν καὶ αὔξησιν enumera-
tionem atq; amplificationem accepti be-
neficij complectatur. ibid. Concluſio, aut
gratitudinis pollicitatione, lib. 10. epiſt.
11. aut δεήσει, petitione atq; commendatio
ne noua. lib. 10. epi. 11. aut εὐχῇ voto ac pre-
catione abſoluatur. lib. 15. epiſt. 11. Nos. *Imitationis*
lib. 15. epiſt. 11. imitari conabimur: cuius *epiſtolæ εὐ-*
exordium beneficij indicatione: propo- *χαριστικῆς e-*
ſitio gratiarum actione & pollicitatione *xemplum.*
memorię: cõfirmatio enumeratione atq;
amplificatione à perſonæ conditione pe
tita: cõcluſio voto & precatione conſtat:
& exprimi à nobis effingiq; imitãdo po-
teſt, quoties gratiæ amico agendæ, qui
cauſam noſtram apud alios diligenter fi-
deliterq; egit; hoc modo.

I. *Quàm curæ tibi cordiq́; res meæ extiterint, etſi iam antè cognitum atq; exploratum ſatis habebam: tamen ex fratris quoq; aliorumq́; cognatorum literis cognoui.*

II. *Itaq; dum lucis huius mihi frui vſura contigerit, gratum me ac memorem præſtabo.*

III. *Neq; quicquã tam erit difficile, aut moleſtum, q̃ ego non tua cauſa, & ſuſcepturus ſim libenter, & expediturus ſedulò.*

IIII. *Et, ſi non parum refert, cui debeas: nemo profectò eſt, quem tibi hac in re anteponere velim, viro ſcilicet multis nominib. de me optimè merito.*

V. *Nihil ego iam de ſtudiorum cõmunione ſcribo, quæ quantam ad conglutinandos hominum animos vim habeat, notum eſt.*

VI. *Parentis tui noſtram in familiam promerita, & plurima, & maxima latere patior.*

VII. *Silentio* Remp. *prætereo, quam, dum fide atq; diligentia ſingulari adminiſtras meritò obſtrictos deuinctosq́; tibi omnes bonos tenes.*

VIII. *Vel hoc quod iam in me contuliſti beneficium, quanti obſecro facere me exiſtimas?*

IX. *Neq; enim parum profectò eſt, hiſce potiſſimum moribus atq; temporibus, abſentis famam & exiſtimationem defendere: aut in competitorũ copia magna locũ in* Repub. *honeſtum impetrare.*

X. *Quamobrem cum referre nunc tibi gratias mea me tenuitas non ſinat: operam dabo ſedulò,*

enitar,

enitar, perficiam deniq; : vt memoriam & voluntatem promptam mihi non deſuiſſe intelligas.

XI. *Deum interim* Opt. Max. *rogo: ſurgenti tuæ gloriæ vt faueat: ita quoq; conſilia actionesq; tuas cunctas Spiritu ſuo Sancto regat & gubernet, vt, q, ſumma hactenus cum laude feciſti, diu* Reipub. *& adiumento, & ornamento eſſe poßis.*

XII. *Ego, niſi quæ impedimenta inciderint, breui te, vt ſpero, videbo: coràm etiam tibi, & gratias agam, & quæ literis credi cõmittiq; tutò nequeunt, exponam. Vale.*

DE COMMVNICATORIIS EPISTOLIS.

AD petitorias epiſtolas, de quibus modò eſt actum, quàm proximè illæ accedere videntur, quæ ἀναθετικαὶ à Græcis à Latinis cõmunicatoriæ appellantur propterea quod in iis noſtra cum amico conſilia communicamus, eundemq; rogamus, vt quid faciendum ille nobis, aut omittendum cenſeat, ſignificet. Eſt autem hoc epiſtolarum genus, cùm omnibus omnium ætatum atque ordinum hominibus, tùm verò adoleſcentibus vtile & neceſſarium. Neque enim quiſquam tam eſt perſpicax, vt omnia videat: non aliorum opus aliquando conſiliis habeat. Et adoleſcentia maximè, quia temeritate *Vtilitas communicatoriarum epiſtolarum.*

atq; ignorantia laborat, aliorum regẽda inq; officio cõtinenda prudentia eſt. Sumuntur aũt in cõmunicatoriis epiſtolis, *Sententiæ communicatoriarum epiſtolarum.* ſententiæ, à cauſis, adiũctis, cõparatis: & cauſæ primũ in medium adferuntur quæ mouere atq; impellere nos poſſe videntur, vt aliquid faciamus & ſuſcipiamus: cuiuſmodi ſunt: honeſtum, vtile, iucundum, neceſſariũ: aut impedire ac deterrere: vt ſunt cõtraria; turpe, detrimẽtoſum, iucundum. Deinde locorũ, temporum, perſonarum, &c. circũſtantię proponuntur, q̃ facilitatem, aut difficultatẽ indicãt. Tum ἀντεξέτασις ἢ ἀντιπαραβολὴ contẽtio & comparatio bonorũ vel malorũ inſtituitur: & conſideratur: vtrũ honeſtius, facilius, neceſſariũ magis: aut minus turpe, *Sententiæ mouentes.* detrimẽtoſum, difficile, ingratũ. Mouentes præterea hîc valent ſententiæ, q̃ vel miſericordiæ, vel ſpei inſeruiũt: quarum illa curæ, ſolicitudinis, perturbationis, anguſtiarũ declaratione: hæc, tum obedientiæ, tum grati atque memoris animi *Sententiæ conciliantes.* pollicitatione excitatur. Ad concilandũ quoq; aptę ſunt & accõmodatæ ἐπαινετικαὶ quæ laudem continent & cõmendationem, beneuólentiæ, doctrinæ, fidei; prudentiæ, experientiæ eius quo cum de re-

bus

Collocatio ſententiarũ in ſingulis cõmunicatoriarũ epiſtolarũ partib.

Exordium.

bus communicare noſtris cupimus. Ad οἰκοδόμησιν porrò, tractationem & collocationem q́ attinet, quatuor cõmunicatoriarum epiſtolarũ eſſe partes ſolent. Quarum prima Exordiũ ſumitur: vel à cauſa ſcribendi, & ἐνδείξει ſignificatione magnitudis illius rei de qua cõſultatio inſtituẽda, & conſiliũ petẽdum. lib. 4. epiſt. 1. lib. 9. epiſt. 3. 7. 18. Vel extenuatione modeſta ac verecunda, lib. 7. epiſt. 34. Vel declaratione ſingularis ſtudij & cupiditatis cõmunicãdi cum amico. lib. 15. epiſt. 15. Vel laude & cõmendatione eius quẽ conſulere volumus, lib. 4. epiſt. 1.

Propoſitio.

Pars altera κατάστασις Propoſitio eſt eius q́ in conſultationẽ venit. Quoniã n. in communicatoriis eiuſcemodi epiſt. vtrinq; adferri plerunq; rationes ſolẽt, vtile cum primis eſt rem, qua de agitur, proponere, & quid in cõſultationẽ veniat paucis oſtẽdere. lib. 14. epiſt. 18. l. 15. e. 15.

Confirmationes.

Pars tertia eſt Confirmatio, q̃ ἀπαρίθμησιν enumerationẽ & ἀνάθεσιν expoſitionẽ continet rationũ illarũ, q̃ dubios nos atq; incertos reddere poſſunt: & ſumũtur, vel ab honeſto. lib. 14. epiſt. 14. lib. 15. epiſt. 15. Vel vtili l. 9. e. 3. 7. 18. l. 14. e. 14. 18. l. 15. e. 15. Vel exẽplis aliorũ. li. 14. e. 14. 17. Vel iucũdo. l. 7. e. 34. l. 9. epiſt. 18.

Vel damno & periculo lib. 4. epiſt. 1. lib. 14. epiſt. 14. Vel difficili. lib. 4. epiſt. 1. lib. 2. epiſt. 15. Quarta & poſtrema pars

Concluſiones. Concluſio abſoluitur, aut ἐπαίνῳ laude, prudentiæ, integritatis, fidei, beneuolentiæ, eius quem conſulimus. lib. 4. epiſt. 1. Aut παρακλήσει & ἀξιώσει petitione, vt pro ſua erga nos beneuolentia nos conueniat: vel ſaltem ſcribat, quid ſentiat, videat, expectandum agendúmue nobis exiſtimet. lib. 4. epiſt. 1. lib. 7. epiſt. 34. lib. 9. epiſt. 7. lib. 14. epiſt. 14. lib. 15. epiſt. 15. Aut præciſione ἀποσιωπήσει. lib. 9. epiſt. 3. lib. 14. epiſt. 18. Aut ὑποσχέσει pollicitatione: accommodaturos nos noſtrum eſſe conſilium ad amici rationes; ſi modò, quid ille conſtituerit, ſciuerimus. lib. 9. epiſt. 7.

Materiæ variæ communicatoriarũ epiſtol. Cic. Sunt autem res & materiæ, quæ in communicatoriis epiſtolis Ciceronis repeꝛiuntur, variæ. Communicationes de inſtituendis rebus belli tempore. lib. 4. epiſt. 1. lib. 9. epiſt. 7. lib. 14. epiſt. 14. lib. 15. epiſt. 15. De ratione vitæ, & ſtudiis atque exercitationibus priuatis. lib. 7. epiſt. 34. lib. 9. epiſt. 3. 18. In Epiſtolis ad Atticum huius generis exempla plurima. 10. liber ſuppeditat, in quo Attici conſilium Cicero exquirit: vtrum in bello ciuili Pompeium

peium an Cæſ. ſequi: in Italia manere, aut aliò ſeſe conferre debeat. Nos 3. lib. 8. imitabimur: in qua eadem de re cum Attico conſilia Cicero communicat. Partes illius ſunt: Exordium, attentionis & beneuolentiæ habens captationem, rei magnæ, & ſtudij cum amico communicandi ἐνδείξει ſignificatione inſtitutam. Propoſitio περιλήψει conſtans futuræ deliberationis: non tamen nudè, verum cauſa addita finali facta: vt eò ſcilicet conſilium facilius dare Atticus poſsit. Confirmatio, quæ dubiam, ancipitem, difficilem reddentia conſultationem argumenta complectitur. Concluſio, δέησιν cōſilij petitionem continens. Hiſce nos veſtigiis inſiſtentes cum amico de inſtituenda ſtudiorū & peregrinationis ratione noſtra cōſilia cōmunicabim⁹, hoc modo. *Imitatio communicatoriæ.*

I. *Magna & neceſſaria de re conſultatio eſt mihi ſuſpicienda: quam hiſce tibi nunc literis exponere volui: cùm coràm tecum agendi facultas non concedatur.*

II. *Eſt autem hæc omnis deliberatio: cum ſtudiorum meorum curſum ad finem propè hac in ſchola perduxerim, ideoq; de alia iam ſit mihi cogitandum, quid mihi agendum exiſtimes: manendum ne in Germania diutius, an verò in Galliam, aut Italiam eundum.*

III. Et, quò facilius tuo mihi adeſſe conſilio queas, quid vtramque in partem occurrat, paucis indicabo.

IIII. Cum, & clariſſimorum virorum exēpla intueor, & ſtudiorū meorum conſidero finem, omnino neceſſariā mihi eſſe peregrinationem video.

V. Etenim cum ad Reipub. tractanda gubernacula ſapientia ſit magna opus, eaq; non tam ex libris, quàm vſu & experientia paretur: vtile omninò, imo neceſſariū videtur, exteras me nationes luſtrare: earūdem, nō linguas modò addiſcere, aut viros audire doctiſſimos: verum etiam leges, inſtituta, mores cognoſcere.

VI. Mouet deinde me & illud, quod negligi paſſim contemniq; eos animaduerto, qui limine paterno pedem nunquā extulerunt, licet ab eruditione illi fuerint atq; doctrina præclarè inſtructi.

VII. Huc accedit, quod ſi maneo diutius, & commilitonum meorum optimorum adoleſcentum comitatum deſero, ſoli alio tempore, aut fortè cum ignotis mihi ſit profectio ſuſcipienda: qui licet amicos ſeſe interdum ſimulent, tamen fidère illis tutum ſatis non videtur.

VIII. Etſi maximè exploratum ſit fideles eos fore: longè tamen vtilius eſt ac iucundius cum doctis, & iis, quibus aliquandiu vſus fueris familiariter, quàm cum mercatoribus, aut aliis non literatis iter facere.

IX. *Habes in hac parte quæ ad profectionē hoc inſtituendam tempore me potiſsimum hortantur: nunc quæ ſint in altera parte accipe.*

X. *Omnia moleſtiarum atq; difficultatum plena in peregrinationibus eſſe longinquis ſolent.*

XI. *Mitto ſumptus, quos maximos facere eos audio, qui in Gallia, Italia, aliisq; locis ſtudiorum nunc gratia viuunt.*

XII. *Quot & quàm præclarorum adoleſcentiū corrumpi ingenia atq; mores iſtis peregrinationibus videmus?*

XIII. *Quàm multa itineribus magnis, moleſtiis infinitis, cum vitæ etiam periculo, ab improuidis adoleſcentibus addiſcuntur, quæ maiorū noſtrorum verè germana deteſtata ſimplicitas, integritas, probitas fuiſſet?*

XIIII. *Vt enim in ſole qui ambulant, etſi non propterea ambulent vt colorentur: nihilo tamen minus colorari ſolent: & qui in vnguentaria aliquandiu commorantur taberna, illius ſecum odorem ferunt: ita & qui peregrinantur, vel inuiti peregrinos inducere mores: vitia imitari conſueuerunt.*

XV. *Aetatem deinde meam cum conſidero, talis ea eſt, vt nondum peregrinationibus longinquis maximè apta videatur.*

XVI. *Mouent præterea me non parum tempora in quibus viuimus: bella quæ ferè omnibus nunc in locis, aut geruntur, aut metuuntur: inſidiæ quæ*

III. Et, quò facilius tuo mihi adeſſe conſilio queas, quid vtramque in partem occurrat, paucis indicabo.

IIII. Cum, & clariſſimorum virorum exēpla intueor, & ſtudiorū meorum conſidero finem, omnino neceſſariā mihi eſſe peregrinationem video.

V. Etenim cum ad Reipub. tractanda gubernacula ſapientia ſit magna opus, eaq; non tam ex libris, quàm vſu & experientia paretur: vtile omninò, imo neceſſariū videtur, exteras me nationes luſtrare: earūdem, nō linguas modò addiſcere, aut viros audire doctiſſimos: verum etiam leges, inſtituta, mores cognoſcere.

VI. Mouet deinde me & illud, quod negligi paſſim contemniq; eos animaduerto, qui limine paterno pedem nunquā extulerunt, licet ab eruditione illi fuerint atq; doctrina præclarè inſtructi.

VII. Huc accedit, quod ſi maneo diutius, & commilitonum meorum optimorum adoleſcentum comitatum deſero, ſoli alio tempore, aut fortè cum ignotis mihi ſit profectio ſuſcipienda: qui licet amicos ſeſe interdum ſimulent, tamen fidere illis tutum ſatis non videtur.

VIII. Etſi maximè exploratum ſit fideles eos fore: longè tamen vtilius eſt ac iucundius cum doctis, & iis, quibus aliquandiu vſus fueris familiariter, quàm cum mercatoribus, aut aliis non literatis iter facere.

IX. Ha-

IX. *Habes in hac parte quæ ad profectionẽ hoc inſtituendam tempore me potißimum hortantur: nunc quæ ſint in altera parte accipe.*

X. *Omnia moleſtiarum atq; difficultatum plena in peregrinationibus eſſe longinquis ſolent.*

XI. *Mitto ſumptus, quos maximos facere eos audio, qui in Gallia, Italia, aliisq; locis ſtudiorum nunc gratia viuunt.*

XII. *Quot & quàm præclarorum adoleſcentũ corrumpi ingenia atq; mores iſtis peregrinationibus videmus?*

XIII. *Quàm multa itineribus magnis, moleſtiis infinitis, cum vitæ etiam periculo, ab improuidis adoleſcentibus addiſcuntur, quæ maiorũ noſtrorum verè germana deteſtata ſimplicitas, integritas, probitas fuiſſet?*

XIIII. *Vt enim in ſole qui ambulant, etſi non propterea ambulent vt colorentur: nihilo tamen minus colorari ſolent: & qui in vnguentaria aliquandiu commorantur taberna, illius ſecum odorem ferunt: ita & qui peregrinantur, vel inuiti peregrinos inducere mores: vitia imitari conſueuerunt.*

XV. *Aetatem deinde meam cum conſidero, talis ea eſt, vt nondum peregrinationibus longinquis maximè apta videatur.*

XVI. *Mouent præterea me non parum tempora in quibus viuimus: bella quæ ferè omnibus nunc in locis, aut geruntur, aut metuuntur: inſidiæ quæ*

bonorum adoleſcentum, & vitæ, & fortunis ſtruuntur: annonæ caritas ſumma: morbi varij iidemq́; periculoſi: exempla multorum, qui paucos intra annos cum ſpe atque expectatione ſui magna parentes & cognatos compleuiſſent, miſerè atque procul à patriæ finibus remoti: auulſi à parentibus dulciſſimis: ac cognatis & amicis abſtracti, ex hominibus abierunt.

XVII. *Tandem & parentum me ancipitem atq; dubium voluntas reddit, qui tantum me viæ capeſſere nolunt.*

XVIII. *Ac ne me putes ad manendum proniorem eſſe, quòd plura de peregrinationum incommodis ſcripſerim.*

XIX. *Poteſt fieri, vt quemadmodum in aliis, ita hac quoq; conſultatione plus verborum poſterior, veritatis prior pars habuerit.*

XX. *Itaq; à te, quem ſecundum patrem meum omnium hominum maximè colo, etiam atq; etiam peto, vt de re vtili cum primis ac neceſſaria deliberanti tuo mihi adeſſe conſilio velis.*

XXI. *Quicquid ſuaſeris, fixum apud me ratumq́; erit: neq; vllo vnquam tempore committam: vt vel fruſtra conſilium mihi dediſſe: vel malè apud me tua poſuiſſe beneficia conqueri poſsis. Vale.*

De ratione reſpondendi ad aliorum literas communicatorias.

Quemadmodum verò vtiles & neceſſariæ, cum amicis aut aliis viris doctis & prudentibus inſtitutæ eſſe communicationes

tiones ſolent: ita videndum quoque eſt, quonam pacto iis qui noſtrum iudicium atque conſilium exquirunt; ſit reſpondendum. Qua quidem in re conſiderandum eſt primum cuiuſmodi ſit id quod in conſultationem cadit: deinde iudiciũne & ſententiam noſtram exponere, an ſuſpendere velimus. Vel enim quæritur ab amico ſimpliciter, placeat ne hoc vel illud fieri, aut nõ fieri: vel propoſitis duobus & contentione atque comparatione facta, vtrum horum placeat fieri; & quæ αἵρεσις electio atque προτίμησις optio inſtituenda. Simplex in conſultatione quæſtio ſi extiterit, argumenta ex cauſis erũt atque adiunctis ſumenda: & oſtendendum vel faciendum aliquid eſſe: quia honeſtum, quia vtile, quia iucundum, quia neceſſariũ, quia facile & ſine labore atq; moleſtia fieri poſsit: cùm perſona ſufficiat: conueniat locus: tempus ſit accommodatũ: modus ſeſe offerat agendi facilis atq; expeditus. Vel intermittẽdum, ꝗ contraria omnia deprehẽdantur: obiiciatur magna difficultas: metuatur detrimentum & damnum: ſit reformidanda turpitudo: nulla illud ipſum ſuſcipere neceſsitas cogat. Quòd ſi verò συγκρίσει com-

Duo quæſtionum genera ἁπλοῦν & συγκριτικὸν ſimplex & comparatione factum.

Sentẽtiæ adhibendæ in reſpondendo aliorũ communicatoriis.

Sententiæ in bonorum αἱρέσει καὶ προτιμήσει.

paratione & contentione facta quæſtio fuerit: vtile eſt noſſe quæ quibus in conſultatione præferri debeant: & tenere ea, quæ à dicendi ſunt magiſtris de bonorũ contentione atque comparatione tradita. Monent enim illi in conſultatione dubia ſpectandum numerum eſſe: & ſemper plura bona paucioribus: pauciora mala malis pluribus eſſe anteponenda. Deinde habendam eſſe rationẽ conſequentium & cauſarum, ideoq; in comparatione eligenda ea, quæ plura atque pręſtantiora conſequuntur; quorum cauſæ ſunt efficientes excellentiores: quæ per ſe expetuntur, non aliò referuntur: quæ ſe ipſis contenta, nec aliena ope egent: quæ in noſtra, non aliorum ſunt poteſtate: quæ certa atq; ſtabilia non incerta. Tùm rei conſiderandam qualitatem: atq; inde præferẽda rara vulgaribus: natiua aſſumptis atque aduentitiis: iucunda minus iucundis: honeſta vtilibus: neceſſaria non neceſſariis: propria alienis: perfecta inchoatis: artificioſa non artificioſis. Poſtremò reſpiciendum quoq; ad affectionem: ac propterea in conſultatione atq; hæſitatione pluris facienda illa, quorum deſideria honeſtiora: artes atque artifices præſtan-

præſtantiores: effecta maiorem laudem, gloriam, commendationem mereantur: quæ iucundiora: quæ ab optimo quoque probata & laudata. Verùm hæc perſequi omnia, non huius eſt loci: & legi illa poſſunt ac cognoſci priuato ſtudio, quę à Cicerone & Ariſtotele hac ſunt de re in Topicis & Rhetoricis libris tradita. Ad moratas porrò & conciliantes ſententias q; attinet: adhibendę in eiuſcemodi epiſtolis ſunt φιλικαὶ, quæ amorē & beneuolentiam noſtrā teſtatam faciunt: συστατικαὶ, cōmendantes & laudantes eum q nos conſulit: μειωτικαὶ verecundè atq; modeſtè extenuantes ea, quæ amicus nobis tribuit. *Moratæ & conciliantes ſententiæ in reſpondendo obſeruandæ.* Oſtendemus ergo fauere ex animo nos ſtudiis aut cōmodis eius qui ad nos ſcribit: ꝑ virili prouehere eadem cupere: nō tamen agnoſcere prudentiam, doctrinā, vſum rerum atq; experientiā, vel alia, quę amicus nobis tribuat: eſſe ipſum talem, vt noſtro, vel aliorum opus conſilio non habeat: aut liberum relinquere amico, vt quod optimum videatur faciat: gratum fore, ſi, q, ſuademus, approbarit: non moleſtum, ſi aliud ſecutus fuerit. Sed neq; mouentes ſunt ſentētiæ negligendæ, verùm petendæ, vel à ſpe & confidentia: vel *Mouentes ſententiæ.*

metu ac reformidatione: vel æmulatione, quæ in erectis & generoſis maximè animis locum habet: vt ſpes aut metus in reliquis. Ad tractationem verò atque collocationem quod attinet: aliter ea eſt inſtituenda, cùm quid faciẽdum nobis aut intermittendum videatur oſtendimus: aliter cùm in medio deliberationem atq; conſultationem relinquimus, & ſuſpendimus iudicium.

Sententiarũ collocatio & tractatio.

Cum ſententiam explicamus noſtram: ac probamus aliquid, aut improbamus: prima erit pars Exordium, conſtans, aut ἐπαναλήψει repetitione acceptarum literarum. lib. 5. epiſt. 19. lib. 6. epiſt. 8. Aut commendatione & laude amoris, beneuolentiæ, humanitatis amici. lib. 4. epiſt. 4. lib. 5. epiſt. 19.

Exordia.

Altera πρότασις Propoſitio: quæ vel βουλὴν cõſilium & προαίρεσιν electionem continebit. lib. 6. epiſt. 8. 20. Vel approbationem, aut improbationem eius ſententiæ, in quam inclinare magis amicus noſter videtur. lib. 5. epiſt. 19. lib. 7. epiſt. 28.

Propoſitiones.

Tertia Confirmatio argumenta complectetur, quæ nos mouere videntur: vt probandũ, aut improbandum: faciendum, aut omittendum: eligendum, aut fugiendum eſſe aliquid ſtatuamus, ſumpta: ab Honeſto, iuſto,

Confirmationes.

iuſto,recto.lib.4.epiſt.4.lib.5.epiſt.19.Vtili.lib.5.epiſt.19. lib.6. epiſt.8. 20. Facili. lib.6.epiſt.8.20.lib. 6.epiſt. 28. Exemplis noſtris vel aliorũ.lib.7.epiſt.28. Quarta & poſtrema Concluſio abſoluetur; aut cõmendatione, vel noſtræ beneuolentiæ, vel inſtituti & conſilij. lib.4. epiſt.4. lib. 7.epiſt. 28. Aut ἀξιώσει petitione. lib. 5. epiſt.19. Aut ὑποσχέσει delatione operæ, officij, ac ſtudij noſtri.lib.5.epiſt.19. lib.6.epiſt. 8. Aut nudæ ſententiæ repetitione. lib.6. epiſt. 20. Si ἐπέχειν ſuſpendere iudicium, & liberam eligendi poteſtatem relinquere amico placuerit: ordiemur, vel à ſcribendi occaſione & cauſis. lib. 4. epiſt.2. Vel προτροπῇ adhortatione, vt ipſe amicus quid è re ſit ſua futurum cogitet. lib.4.epiſt.14.18. Vel laude & commendatione amici: noſtra extenuatione. lib.4. epiſt. 2. In propoſitione, aut aditum ad ea, quæ in mentem nobis veniunt faciemus. lib. 14. epiſt.14. 18. aut διαπορήσει dubitatione vtemur, & deliberationem eſſe difficilem, arduam, perplexam affirmabimus, vt quid ſit faciendum hæſitemus. lib.4. epiſt.2. In Confirmatione argumentorum, quæ vtrinque ſeſe offerunt, ἀντεξέτασιν contentionem atque comparatio-

Cõcluſiones.

Iudicium vt ſuſpendendum in reſpondendo.

nem inſtituemus. lib. 4. epiſt. 2. lib. 14. epiſt. 14. 18. In parte poſtrema concludemus, vel dubitatione διαπορήσει & ἐπιτροπῇ permiſsione: vt cùm nondum nobis conſtet, vtrum ſit melius, ipſe ſtatuat amicus, quod profuturum ſibi maximè exiſtimarit: aut in conſiliũ alios adhibeat. lib. 14. epiſt. 14. 18. Vel ὀδυρμῷ querela de deliberationis difficultate. lib. 4. epiſt. 2. Sunt aũt huius generis apud Ciceronem, quæ in Epiſtolis tractantur familiaribus, res & materiæ variæ. Reſponſiones ad cõſultationem de inſtituendis rebus tẽpore belli: fugiendúmne an manendũ. lib. 4. epiſt. 2. lib. 14. epiſt. 14. 18. De defendendis alicuius partibus. lib. 5. epiſt. 19. De exilij loco deligendo. lib. 6. epiſt. 8. 20. De prouincia & adminiſtratione aliqua ſuſcipiẽda. lib. 4. epiſt. 4. Nos exercitij gratia ſumemus epiſt. 2. lib. 4. fam. in qua Sulpitio Cicero reſpondet, qui de inſtituendis ſuis rebus eum conſuluerat: & ſententias doctas, prudentes, ex media philoſophia petitas adfert. Partes illius ſunt quatuor. Exordium occaſionis expoſitione; & laude atq; cõmendatione prudẽtiæ Sulpitij: ingenij & doctrinę ſuę extenuatione cõſtans. Propoſitio διαπορήσει dubitatione facta.

Materiæ reſponſionum ad Epiſtolas aliorũ communicatorias.

Imitatio reſponſionis ad communicatoriam epiſtolam.

facta. Confirmatio, in qua eruditè vtilitatem inter ſe & honeſtatẽ Cicero confert. Concluſio, q̃ querelâ & petitione abſoluitur: vt vel ad ſe quãprimũ Sulpitius veniat, ſi qd ſecum cõmunicare velit: vel itineris labore omni ſuperſedeat, ſi ſtatutũ aliquid iam habeat. Quas nos imitãdo ef fingere partes, & reſpõdere ei cõabimur, qui tẽpore aliquo periculoſo, aut bello, vel tumultu exorto noſtrã de inſtituẽdis rebus ſuis ſententiã exquirit, hoc modo.

I. *Accepi literas tuas, quibus lectis malè amicum feciſſe tuum intellexi: qui cum rogatus abs te eſſet, me ipſe vt conueniret, deq; rebus omnibus certiorem faceret, per alios miſsis tuis literis diſceßit.*

II. *Sed tamen paulò pòſt quidam ad me amici tui venerunt, quibus placuit, vt certo aliquo in loco conueniremus: aut ſaltem ad te primo quoq; tempore ſcriberem.*

III. *Quod meum conſilium exquiris: quid faciendum tibi eſſe exiſtimem: equidem is ego ſum, qui vix mihi ipſi, nedum aliis conſulere poſſum.*

IIII. *Tibi præſertim, homini ea, & doctrina & prudentia, & experientiã prædito: vt neq; meo, neq; cuiuſquam alterius opus conſilio habeas.*

V. *Quod ſi tamen hæc animo ſtat ſententia: ſic habeto.*

VI. *Si pietatem ſpectamus, aut propoſitam ho-*

neſtatem habemus : res iam eſt explicata. Si quid conducat maximè quærimus : obſcura, intricata, difficilis.

VII. *Sin tales ſumus, quales eſſe meritò debemus: vt nihil niſi quod pium rectumq; fuerit, vtile eſſe ſtatuamus: quid faciendum, aut omittendum ſit, dubitare minimè poſſumus.*

VIII. *Religionis, libertatis, iuſtitiæ defenſione, gratiam & fauorem ſeſe hominum conciliaturum, vterq; noſtrum ſperauit.*

IX. *Sed quàm ſpes iſta longè nos fefellerit: quem res ſint in locum deductæ: quis earundem curſus: facilè intelligis.*

X. *Interreſſe negotiis ſi cupis: ea quæ fiunt geruntur q;, aut probes, aut improbes neceſſe eſt: quorum illud turpe, hoc periculoſum: vtrumq; à verè prudentis alienum officio eſt.*

XI. *Reſtat igitur, vt aliorum cura abiecta, de nobis tantum noſtrisq; ſoliciti ſimus.*

XII. *Verùm & hæc ipſa deliberatio difficultatis non parum habet.*

XIII. *Neq; enim boni cordatiq; eſt viri in tanta rerum perturbatione atq; confuſione ſua ſolùm ſpectare: trahantur nec ne pedibus cætera, ſusq; deq; ferre.*

XIIII. *Et fieri plerunq; videmus, vt qui medij eſſe & quieſcere cupiunt, vtrinq; premãtur, idemq; illis accidat, quod in media domus parte habitãtibus euenire ſolet.*

XV. Pla-

XV. *Planè aqua,quod aiunt,hac mihi in re hæret:nec deliberatio vnquam oblata fuit difficilior.*

XVI. *Tu, ſi fortè coràm communicare mecum toto illo de negotio volueris, id quod amicis placere tuis intellexi,locum mihi atque tempus,quo conueniamus,deſignabis.*

XVII. *Quod ſi verò certi iam quid conſtituiſti: labore hoc ſuperſedere facilè poterimus.Vale.*

DE CONSOLATORIIS EPISTOLIS.

COnſolatoriæ Epiſtolæ à latinis,à græcis παραμυθητικαὶ appellatæ, ſunt, in quibus aduerſa laborantem fortuna conſolamur amicum, eiuſdemq; leuare mœrorem: ſedare luctum: deſiderium lenire: ſanare dolorem: lacrymas abſtergere literis noſtris conamur. Eſt autem Epiſtolarum hoc genus maximè, & neceſſariũ: quòd cùm primum hanc aſpicit lucem homo,omnibus illicò miſeriis,ærumnis, calamitatibus eſt obnoxius: & honeſtũ, quia officium laudabile atq; pium amicorum ægritudines, aut tollere funditùs,aut ſedare ſaltem, neque pati manare eas longiùs: & vtile, propterea quòd triſtitiæ remedium vnicũ conſolatio eſt: & vt vetus ille poëta ait:

Conſolatoriarum epiſtolarum vtilitas.

Τῷ μὲν σῶμα διατεθειμένῳ καλῶς
Χρεὶ' ἐστὶν ἰατροῦ: τῷ δὲ τὴν ψυχὴν, φίλου.
Λύπην γὰρ εὔνους οἶδε θεραπεύειν λόγος.

Conſolatoriarum argumẽta ſanantia, docentia, & probãtia.

Finis ergo conſolatoriarum epiſtolarum eſt: vt ob calamitates & miſerias, aut non doleat prorſus amicus: aut non nimis doleat. Itaq; adhibenda ea hîc argumenta erunt, quæ mederi ægritudini: iacentem erigere amicum: confirmare fractum poſſe videntur. Sumuntur autẽ illa, vel à cauſa calamitatum efficiente, Deo Opt. Max. vel neceſsitate, & cõmuni omnium hominum lege atq; conditione, quã Cic. peruulgatam quidem maximè, ſed tamẽ talem eſſe conſolationem affirmat, vt ſemper in animo eam atq; ore habere debeamus: & meminiſſe homines nos eſſe, ea lege natos: vt omnibus fortunæ telis propoſita ſit vita noſtra: neq; recuſandum, quò minus ea, qua nati ſumus conditione viuamus. Vel conſcientia bene innocenterq; vitæ tranſactæ: conſiliorum, & factorum honeſtorum. Vacare .n. culpa magnum, vt ille ait, ſolatium eſt: & boni qui ſunt atq; ſapientes turpitudine, non caſu: non aliorum iniuriis, ſed ſuis delictis mouentur. Vel *κοινωνίᾳ* cõmunione & ſocietate malorum, & exẽplis alio-

rum

rum bonorũ virorum, qui iiſdem in miſeriis, atque calamitatibus ſunt verſati. Etſi enim, vt ad Aulum Torquatum Cicero ſcribit, miſera hæc ſit cõſolatio, præclaro præſertim magnoque ciui ac viro: tamen neceſſaria eſt: vt cogitemus, nihil eſſe præcipuè cuique dolendum in eo, quod accidat vniuerſis. Vel temporibus triſtibus ac calamitoſis, Reique publicæ ſtatu miſero, & perturbato: quam Cicero plus proficere conſolationem teſtatur, quàm omnes conſolationes alias, quæ à ſapientiſsimis viris vſurpatæ, memoriæque ac literis ſunt proditæ. Vel anteacta vita laudabili, dignitate, doctrina, virtute: vt is qui dolet intelligat ſibi turpe fore, dolore frangi. Vel teſtimonio, iudicio, ſermone hominum, de pietate, integritate, innocẽtia amici. Vel mitigatione & clemẽtia eorũ qui offenſi antè fuerant. Vel ſtudiis, officiis, interceſsionibus propinquorũ aut amicorum. Vel conditione malorũ atq; incõmodorum, quę oſtendemus eſſe, aut nulla, aut non vſq; adeò magna, ſi cum iis q̃ adſunt adhuc cõferantur: aut non diuturna: aut cum commodo aliquo coniũcta. Vel deniq; malis atq; periculis illis, q̃ impendere, triſtesq;

Conſolatio-num argu-menta παθητικὰ mouen-tia.

minari ruinas videntur. Παθητικὰ verò mouentia à ſpe ſunt & confidentia: deinde æmulatione: tum pudore ac verecundia docenda. Quoniam enim in eo, cuius ægritudini medicinam facere conamur, metus eſſe atque timor ſolet, qui aut propriis, aut communibus malis excitatur: contrario ille motu, ſpe ſcilicet ac confidentia tollendus eſt. Æmulatio quoque, quæ maximè apud doctos atque generoſi ſpiritus homines locum habet, oritur, cùm certi quidam laudantur, qui non turbulenter, ſed ſapienter pertulerũt ea quæ acciderunt. Pudor deniq; incutitur, cùm animi effœminati mœrentibus imbecillitas obiicitur. Quanquam & impendentium calamitatum & miſeriarum metus ac denunciatio mœrorem lenit: & idem miſericordia præſtat, demortuorum cognatorum, vel aliorum qui chari fuerũt, προσωποποιΐα & obteſtatione adhibita.

Conſolatio-num argu-menta ἠθικὰ morata & cõcilantia.

Ad ἠθικὰ porrò morata & conciliantia argumenta quod attinet, à perſona illa partim noſtra, partim eorum ad quos ſcribimus petuntur. In noſtra amoris ac beneuolentiæ ſignificatio: commemoratio officiorũ: ſocietas ęgritudinis: literarum, vel infrequẽtiæ, vel breuitatis excuſatio: exte-

extenuatio virium in conſolando modeſta: metus etiam nonnunquam profeſsio prodeſt: ne temerè, vel confidere ipſi, vel inanem aliis iniicere ſpem videamur. In aliena laus vtilis eſt ac cõmendatio pietatis, doctrinæ, prudentiæ, magnitudinis animi: amoris itidem, ſtudij, officij illius quem conſolari cupimus: & hac ipſa quaſi languentes excitari ſolent. Sunt autem, vt de argumentorum iſtorum collocatione atque tractatione agamus, quatuor conſolatoriarum epiſt. partes: Exordium, propoſitio, confirmatio & concluſio. Exordia conſtant, vel ἐνδείξει τῆς συμπαθείας ſignificatione doloris, mœroris, luctus ex amici caſu aduerſo percepti: & modeſta virium atque ingenij noſtri in conſolando extenuatione. lib. 1. epiſt. 5. lib. 3. epiſt. 10. lib. 4. epiſt. 3. 5. 13. lib. 5. epiſt. 16. 18. lib. 6. epiſt. 1. 4. 22. Vel amoris, beneuolentiæ, ſtudij, officij commemoratione. lib. 6. epiſt. 2. 5. 10. 14. Vel ἀφηγήσει προφάσεως narratione occaſionis, qua ipſa ſuſcepta ſcriptaq; ſit conſolatio. lib. 1. epiſt. 6. lib. 4. epiſt. 15. lib. 6. epiſt. 4. Vel laude & prædicatione ſapientiæ atque animi magnitudinis amici lib. 4. epiſt. 3. 5. lib. 6. epiſt. 5. Vel ἀξιώσει petitione & de-

Collocatio argumentorũ in ſingulis cõſolatoriarum epiſtol. partibus

Exordia conſolatoria.

precatione: ne propter literarum, aut raritatem, aut tarditatem, atque intermiſſam ad tempus conſolationem, negleχiſſe in miſeriis amicum videamur. lib. 4. epiſt. 5. 13. lib. 5. epiſt. 16. 17. lib. 6. epiſt. 2. 3. 6. 13. Vel timoris confeſsione. lib. 4. epiſt. 13. lib. 6. epiſt. 14.

Propoſitiones conſolatoriæ.

Propoſitiones, aut προτροπὴν adhortationem habent: ne ægrè nimis moleſteq; aduerſam amicus fortunã ferat. lib. 4. epiſt. 5. lib. 5. epiſt. 18. lib. 6. epiſt. 2. 17. Aut προέλπισιν & βεβαίωσιν indicationem & certam melioris fortunæ ac liberationis pollicitationem. lib. 4. epiſt. 13. lib. 6. epiſt. 5. 13. 14. Aut πρόληψιν occupationem atque expoſitionem cauſæ, cur denuò cõſolationem adhibeamus apud eum, quem antè conſolati ſumus. lib. 4. epiſt. 10. 15. lib. 6. epiſt. 4. 21.

Confirmationes conſolatoriarum epiſtolarum.

In Confirmatione argumenta adhibentur, quibus illi qui mœrent adduci poſſe videntur, vt ſeſe colligant, atque erecto infractoq; animo mala & incommoda omnia ferant, ac ſumuntur: vel à cauſa efficiente & authore calamitatũ Deo. lib. 5. epiſt. 16. Vel neceſsitate & communi omniũ fortuna, ac conditione. lib. 4. epiſt. 5. lib. 5. epiſt. 16. 17. 19. lib. 6. epiſt. 1. 6. Vel conſcientię bonitate & culpę vacatione. lib. 4. epiſt. 3. lib. 5. epiſt.

epiſt.17.lib.6.epiſt.1.2.3.4.6.10.17.21. Vel ſocietate malorum, atque aliorum exemplis, qui eaſdem ſunt miſerias ac calamitates experti.lib.4.epiſt.3.5.15.lib.5.epiſt. 16.17.19.lib.6. epiſt. 1.2.3.4. 6.21. Vel temporum conditione triſti miſeroque ſtatu Reipub. lib.5. epiſt.5.lib. 5.epiſt. 15.17. 19.lib.6.epiſt.1.3.4.6.10. Vel anteacta vita, ſtudiis, moribus. lib.4.epiſt.3.5.13.lib. 5.epiſt.16.17. lib.6.1.4. Vel teſtimonio & iudicio bonorum virorum. lib.4.epiſt.3. lib.5.epiſt.17.19. lib. 6. epiſt.13. Vel mitigatione & clementia eorum qui offenſi antè fuerant.lib.4. epiſt.13.lib.6. epiſt.4. 5.6.10.14. Vel ſtudiis, officiis, auxiliis amicorum & propinquorum. lib. 1. epiſt. 6.lib.13.epiſt.10.lib.4.epiſt.13.lib.6. epiſt. 1.2.5.10.13. Vel aduerſæ fortunæ & malorum conditione.lib.3.epiſt.10.lib.5.epiſt. 16.19.Vel malis atq; periculis impendentibus. lib.4. epiſt.5. lib.5. epiſt. 16.19. Vel contentione, & collatione eorũ quæ amiſſa & retenta ſunt.lib.4.epiſt.3.5.lib.5. epiſt.19. Concluſiones conſolationũ abſoluũtur: aut ὑποσχέσει pollicitatione & delatione voluntatis promptæ, operæ, ſtudij, officij.lib.1.epiſt.6.lib.4.epiſt.5.13.lib. 5.epiſt.17.19.lib.6.epiſt.1.3.4.5.10.13.14.21.

Concluſiones conſolationum.

Aut ἀξιώσει petitione. lib. 4. epiſt. 13. 15. lib. 5. epiſt. 16. Aut προτροπῇ adhortatione ad animi magnitudinem. lib. 1. epiſt. 6. lib. 4. epiſt. 5. lib. 6. epiſt. 2. 4. 5. 10. 13. 14. Aut ἀναμνήσει & ἀνακεφαλαιώσει antè allatorum argumentorum breui repetitione. lib. 6. epiſt. 2. 5. 13. Aut ὑποσιωπήσει præciſione & ἐπιθεραπείᾳ mitigatione eorũ quæ in conſolatione adhibita. lib. 4. epiſt. 3. 5. lib. 6. epiſt. 1. 3. 4. Aut αἰτιολογίᾳ cauſarũ inſtitutæ conſolationis expoſitione. lib. 5. epiſt. 16. lib. 6. epiſt. 4. Sunt autem varia Ciceronis in Epiſtolis conſolationum genera. Conſolationes in communibus miſeriis & interitu Reipub. lib. 4. epiſt. 3. 4. 15. In repulſa. lib. 1. epiſt. 6. In damnatione. lib. 5. epiſt. 19. In valetudine aduerſa. lib. 16. epiſt. 14. In obitu liberorum. lib. 4. epiſt. 5. lib. 5. epiſt. 14. 16. In exilio. lib. 4. epiſt. 31. lib. 5. epiſt. 17. 19. lib. 6. epiſt. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. 13. 14. 21. lib. 7. epiſt. 3. 29. Nos exercitij gratia hoc tempore, 5. lib. 4. fam. imitari conabimur, in qua Ciceronem Sulpitius conſolatur, & rogat, vt filiæ erecto infractoque animo obitum ferat. Partes Epiſtolę illius quatuor ſunt. Exordium, doloris communis declaratione: ſignificatione ſtudij atq; officij: modeſta excuſa-

Materiæ cõſol. epiſt. Cic. variæ.

Imitatio epiſtolæ conſolatoriæ.

excuſatione conſtans. Propoſitio, περὶ τῶν ad animi magnitudinem adhortatione facta. Confirmatio, quę argumenta complectitur ſumpta à contentione bonorum, viri fortis officio: demortuæ filiæ conditione: ſtatu reipub. perturbato: clariſsimorum virorum exemplis: communi omnium hominum fortuna: Ciceronis denique prudentia & vita anteacta. Quæ quidem omnia ad dolorem, ſi non tollendum prorſus, ſaltem leniendum atq; mitigandum ponderis momentiq; plurimum adferunt. Concluſio pręciſione atque adhortatione abſoluitur. Hanc nos ſecuti viam amicum filij lugentē obitum conſolabimur hoc modo.

I. *Poſteaquam filium tuum hanc cum morte commutaſſe vitā intellexi: mœrore ſanè ſum ac triſtitia incredibili affectus, eādemq; ad me quoq; pertinere calamitatem ſum arbitratus.*

II. *Quod ſi etiam tùm per loci longinquitatem: tùm occupationes illas, quibus diſtrictus teneor quotidie, ad te proficiſci potuiſſem: coràm profectò meum tibi teſtatum dolorem feciſſem.*

III. *Ac licet miſerum omnino hoc ſit conſolandi genus, quod apud afflictū ab afflictis adhiberi propinquis, amicis, neceſſariis ſolet: propterea quòd ipſi opus aliorum habere conſolatione videntur.*

IIII. *Tamen breuiter per literas cõſolari te conabor: idq; officium in partem optimam accepturũ te planè confido.*

V. *Neq; enim iccirco illud facio, quaſi tuæ hac in parte prudentiæ diffidam: verum q, ita comparatũ eſſe plerunq; ſciam: vt in rebus noſtris nimia, aut gaudio, aut dolore præpediti, quid ſit faciendũ non videamus.*

VI. *Cur ergo primum tam grauiter filij tui ferendam eſſe mortem cenſes?*

VII. *Conſidera obſecro, etiam atq; etiam conſidera, qua hactenus fortuna ſimus vſi: quàm multa amiſerimus, quæ, ſi non magis, æquè profectò atq; liberi iucunda nobis acceptaq; eſſe debent.*

VIII. *Deinde mentis oculorumq; ad ea quæ nunc fiunt & geruntur, aciem conuerte & bene cum eo aliisq; actum eſſe fateberis, qui miſeris hiſce ac verè conclamatis temporibus ex hac vita placidè migrârunt, & quaſi fuga, ceruicibus noſtris imminentes calamitates, declinarunt.*

IX. *Quid verò illum ad diuturniorem huius lucis expetendam vſuram impellere poſſet?*

X. *Vt cum virgine aliqua, honeſta orta familia & locuplete coniunctus vitã traduceret: vt liberos procrearet, quibus delectareris: vt relicta à te bona teneret: vt ad honores atq; dignitates eueheretur?*

XI. *Quid horum omnium eſt: quod non ſuas quoq; moleſtias atq; difficultates habeat?*

XII. At

XII. *At verò malum eſt filium amittere. Vnde quæſo filium habuiſti? nonne precario quaſi nomine vſurarius tibi datus à Deo; ideoq; eundem repetenti reddendus fuit?*

XIII. *Quid porrò in tota rerum eſt vniuerſitate, firmum, ſtabile, perpetuum, omniſq; interitus expers?*

XIIII. *Quot obſecro regna delata: quot mutata imperia: quot vrbes euerſæ: quot viri extincti clariſſimi?*

XV. *An hominem fuiſſe filium tuum es oblitus; ea ſcilicet lege natũ, vt cùm aliis calamitatibus omnibus, tùm verò morti obnoxius eſſet?*

XVI. *Etiam illa conſidera, quæ tua cum primis digna perſona videntur: pietate & virtute, non annorum numero vitæ æſtimãdam longitudinem eſſe.*

XVII. *Filium tuum inter peregrinos quidem: at in Repub. Chriſtiana præclareq; conſtituta dicis ſuum obiiſſe: vbi neq; ad corpus, neq; animã curandam neceſſariis deſtitutus fuit.*

XVIII. *Domini quoq; (vt cũ ſcriptura loquamur) eſſe terram omnemq; plenitudinem eius: vndique cœleſtem in patriam hac è vita migrantibus tantundem viæ reſtare.*

XIX. *Chriſtianum te eſſe cogita: cuius eſt gratias Deo agere pro conceßis aliquãdiu liberis, non de iis abreptis cum eodem expoſtulare: & quaſi præmiſſum, non amiſſum lugere.*

XX. *Veniant tibi in mentem ea quæ mihi aliisq́; ſimili in luctu præcipere es ſolitus: neque committe, vt illud tibi obiiciátur :* ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

XXI. *Aut temporis expectaſſe medicinam videaris in iis, quibus pietate, animi magnitudine, ſapientia occurrendum erat.*

XXII. *Scriberem hanc in ſententiã plura: niſi vererer, ne de tua dubitare prudentia viderer.*

XXIII. *Proſperam & ad voluntatẽ fluentem fortunam ferre ſemper moderatè es ſolitus: non ergo minus in aduerſis rebus infractum, erectum, excelſumq́; te præbebis.*

XXIIII. *Quod ſi, vti ſpero, audiero, mihi gaudebo, tibi gratulabor.*

XXV. *Sin minus atq; ita altè radices tuo in animo mœror atq; ægritudo egerit, vt euelli nullo modo queat: tamen officiũ hoc qualecunq; meũ grato animo accipies: meq́; ad omnia tua promptũ paratumq́; fore ſemper perſuaſum habebis. vale.*

De ratione reſpondendi ad literas aliorum conſolatorias.

Atque hæc de ratione inſtituendarum conſolationum ſint dicta. Reſtat vt quonam pacto aliorum ſit reſpondendum conſolationibus oſtendamus. Eſt autem duplex hîc via atq; methodus obſeruanda. Aut enim amicorum acquieſcimus conſolationi: aut tantum eſſe luctum noſtrum oſtendimus: vt leuari atq; minui nullo

nullo modo poſſe videatur. Cùm amici conſolationem admittimus: ex effectorum deſumpta loco adhibenda argumenta erunt, & oſtendendum ab amico allatas rationes plurimùm profuiſſe: dolorẽ & triſtitiam omnem abſterſiſſe: recreaſſe nos mirificè. Deinde ἠθικαὶ moratæ quoque ſunt & conciliantes ſententiæ adhibendæ: cuiuſmodi ſunt: quibus gratitudinem noſtram declaramus: gratias pro humanitate & officio præſtito agimus: remunerationem denique ac memoriam pollicemur. Quod ſi verò dolor atq; triſtitia maior extiterit, quàm vt amici conſolatione, aut tollatur prorſus, aut ſaltem mitigetur ac leniatur: modeſtè ea refellemus, quæ extenuandi ab eodem ſunt gratia adducta: & vel ex cauſis, vel adiunctis, vel comparatione petitis argumentis oſtendemus, tantas noſtras miſerias atq; calamitates eſſe: vt omnes omnium longo poſt ſe interuallo relinquant: neque vllius ſedari conſolatione poſsint. Sed hîc maximè moratis eſt & conciliantibus ſententiis opus. Improbi enim atq; agreſtis eſt hominis, humanitatis officia non agnoſcere: parui amicorum conſilia facere: reſpuere conſolationes. Itaq;

Sententiæ in cõſolationis approbatione adhibendæ.

Sententiæ adhibendæ, cum cõſolatione tolli aut mitigari dolor nequit.

ἠθικαὶ moratæ & conciliantes ſententiæ in reſpõdendo vſurpandæ.

& hic laus eſt atque commendatio inſtituenda prudentiæ, doctrinæ, humanitatis, beneuolentiæ, diligentiæ & prudentiæ amici, qui omnia collegerit ea, quæ fractum ac proſtratum erigere atque confirmare animum poſſunt. In querelis etiam & exaggerationibus malorum modus adhibendus: ne muliebriter noſtram deflere fortunam videamur.

Collocatio & tractatio diuerſa in reſpondendo obſeruanda.

Ad tractationem denique & collocationem quod attinet: diuerſa quoque illa erit. Qui enim amici conſolationem admittet, in exordio συστάσει καὶ ἐπαίνῳ laude & commendatione amici vtetur, & cuiuſmodi eius ſit beneficium, ac quo loco habendum oſtendet. lib. 5. epiſt. 13. In propoſitione allatam conſolationem approbabit, & obtemperaturum ſeſe promittet. ibidem. In confirmatione ἐπανάληψιν repetitionem argumentorum illorum inſtituet, quibus lenire noſtrum dolorem amicus eſt conatus: & quantum ſibi profuerint iſta oſtendet. ibidem. In concluſione pollicebitur, ſe operam daturum, vt, quantum quidem fieri poſſit, ab omnibus moleſtiis atque angoribus ſeſe abducat. ibidem. Quod ſi verò acquieſcere conſolationi omninò non poterimus:

prima

prima pars Exordium συστάσει commendatione atque laude conſtabit humanitatis atque officij ab amico præſtiti. lib. 4. epiſt. 6. Propoſitio ægritudinis atque doloris noſtri ἐνδείξει ſignificationẽ continebit. ibidem. Confirmatio, correctionem atque inuerſionem complectetur argumentorum ab amico allatorum: & rationes, quibus ad mœrendum compellamur, nec amici locum relinquere conſolationi poſsimus: petitas vel à loci, temporis, perſonæ circumſtantiis: vel exemplorum diſsimilitudine: vel remotione cauſarum, quæ tollere, aut ſaltem mitigare dolores poſſe videbantur, & poſitione illarum, quæ confirmare aut augere eoſdem queant. ibidem. Concluſio ἀξιώσει petitione abſoluetur: vt quàm primùm ad nos veniat amicus ſuaque conuerſatione aliquam in luctu leuationem adferat. ibidem.

Huius generis exẽpla ſunt in familiaribus Epiſtolis modò indicatis. lib. 4. epiſt. 6. in qua ad conſolationẽ in liberorũ obitu reſpondetur. lib. 5. epiſt. 13. vbi ad conſolationẽ in Reipub. ſimul & liberorum obitu reſponſum datur. Et in Epiſtolis ad Atticum. lib. 3. epiſt. 11. 13. 16. 18. in *Materiæ reſponſionum ad conſolationes.*

quibus Cicero Attico amico intimo reſpondet, & quo eius loco habeat conſolationes indicat. Nos 6. lib. 4. fam. in manus ſumemus, in qua Cicero Seruij conſolatoriæ epiſtolæ reſpondet: atque ita reſpondet: vt eam, non quidem inanem fuiſſe prorſus, ſed nec dolorem ſuſtuliſſe penitùs oſtẽdat. Epiſtola illa egregia eſt, & quatuor partes habet. Exordium, præſtiti officij laude conſtans. Propoſitionẽ, quæ conſolationis remotionem: ſignificationem doloris complectitur. Confirmationem, quæ paulò antè indicatis argumentis abſoluitur. Concluſionem petitione factam: vt primo quoque tempore ad ſe veniat: quò eius frui conſuetudine & colloquiis poſsit. Hanc nos epiſtolam ſecuti, amico, qui in filij obitu conſolationem adhibuerat, reſpondere hoc modo conabimur.

Imitatio epiſtolæ reſpondentis ad aliorum conſolationes.

I. *Mihi verò, Timothee, nihil tua præſentia gratius fuiſſet aut optatius.*

II. *Etenim cùm abſens tantopere tuis me literis recrearis: facilè quid coràm, & conſolando, & dolendo æquè præſtare potueris intelligo.*

III. *Fuerunt profectò humanitatis illæ & beneuolentiæ in me tuæ plenæ: prudentia atque doctrina tinctæ ſingulari: omnia deniq; continuerunt ea,*

quæ

quæ aduerſa fractum fortuna erigere atq; confirmare poſſunt.

IIII. *Propinqui etiam tui atq; amici plurimis officiis ſimul, & ſuum in me declarare amorem: & tibi gratum facere voluerunt.*

V. *Itaq; meritò, vt grata, ita quoq; iucunda eã fuiſſe mihi ſcribere: ſi hoc vti verbo meis in miſeriis liceret.*

VI. *Quæ quidem tantæ ſunt: vt vix me colligere: reſiſtere dolori: tuam vel aliorum admittere conſolationem queam.*

VII. *Sunt, fateor, amiſſa multa, eaq; chara.*

VIII. *At eò magis illorum conditio deploranda, qui aliis ſpoliati rebus, etiam liberis ſuis dulciſsimis orbantur.*

IX. *Mortui ſunt & aliis parentibus filij.*

X. *At vel plures habuerunt alios: vel inſtructi pa ratiq; probè à propinquis, affinibus, amicis fuerunt: vt vnius iacturam facilè aliorum compenſare copia potuerit.*

XI. *Mihi autem nudo à propinquis: nulla munito cognatione: liberis deſtituto aliis, filius abreptus vnicus eſt: & filius pius, frugi, obediens: in cuius robur ſenilem me inclinaturũ imbecillitatem ſperauerã.*

XII. *Sunt, vt noſti, eiuſcemodi nunc tempora: ij hominum mores: vt non excitare atq; alere: ſed debilitare bonorum virorum ſtudia poſsint.*

XIII. *Sed cum nihil hîc mihi ſeparatim ab aliis accidere ſum arbitratus: me ipſum fregi, deq; filio*

quoties cogitaui: toties curas doloresq́; meos depoſui.

XIIII. *Iam verò tam alto atq; profundo vulnere accepto, etiam reliqua, quæ ſanata & cicatrices obduxiſſe videbantur, recrudeſcunt.*

XV. *Et publicis à negotiis reuerſus, domum cum aſpicio: intueor alia, quæ, vel laboribus ſunt meis multis magnisq́; parta: vel relicta à parentibus: lachrymas continere nequeo: quia eum, cui deſtinata iſta erant omnia, ſubtractum mihi eſſe cogito.*

XVI. *Quò magis tuas literas, vel potius teipſum expectò: vt ex conuerſatione atq; colloquiis tuis aliquam in luctu percipere leuationem queam.*

XVII. *Vt enim pluuia ſemper eſt bona: magis tamen ſiccitatis tempore grata: ita amicorum conuerſatio cùm omnibus temporibus aliis: tum verò miſeris maximè atq; turbulentis eſſe accepta ſolet.*

XVIII. *Itaq; peto, quod commodo tuo fiat, aut primo quoque ad me tempore venias: aut, ſi fieri illud per occupationes tuas non poteſt, literas, quæ abſentis tui vices compleant, & crebras, & bene longas ad me mittas. Vale.*

DE OFFICIOSIS EPISTOLIS.

Vtilitas officioſarum epiſtolarum.

OFficioſæ Epiſtolæ πραγματικαὶ appellatæ à græcis ſunt, in quibus amorem, operam atq; officia noſtra amico deferimus ac pollicemur. Et eſt hoc quoq; literarũ genus

nus vtile cumprimis ac neceſſarium: tùm, quia bene de nobis noſtriſq; meritis gratia eſt meritò referenda: tum quia hęc ipſa ſcribendi ratio ad aliorum cóciliandum amorem maximè apta & accómodata. Sumuntur autem in officioſis epiſtolis ſententiæ ex cauſarum maximè & adiunctorum locis: propterea quod animi in his promtitudo declaranda: ſimul etiam rationes atque cauſæ adferendę, quibus ſcilicet adducti, ad amici promouenda prouehendaq; commoda parati ſimus. Sunt verò duę principes cauſæ, quæ ad bene de aliis merendũ impellere homines ſolent: virtus & vtilitas. Itaq; oſtendendum hîc erit: egregiè in amicum animatos nos eſſe: propter pietatem, iuſtitiam, liberalitatem, morum amabilitatem, ſuauitatem, humanitatem, aut etiam Rempub. Deinde ad vtilitatem quoque accedendum, & beneficia, vel in nos, vel noſtros collata, non nudè ſaltem ſimpliciterq; exponenda: verùm ornanda & amplificanda: quod ſint non vulgaria aut leuia, ſed magna, præclara, vtilia: data à viro inſigni: data tempore neceſſario: data loco opportuno: & hujus generis proferenda alia, quæ ſua natura parua commendare promerita ſolét. Ex adiunctis etiá nónulla

Sententiæ officioſarum epiſtolarũ.

promenda: cuiuſmodi ſunt: ſtudiorum & vitæ coniunctio: morum ſimilitudo: doctrina: autoritas, virtute, aut alia ratione parta.

Sententiæ mouentes. Motus hîc locum habet ſpei & fiduciæ, eoq́; omnia dirigenda: vt bene ſperet amicus: vt nobis cõfidat: vt noſtra ſibi ſtudia atq; officia parata fore ſemper, perſuaſum habeat.

Sententiæ conciliãtes. Maximè verò ἠθικαὶ moratæ & conciliantes hiſce in epiſtolis ſententię requiruntur, operaq́; danda: vt nec in eorum, ad quos ſcribimus, laude ſimus nimij, atq; ita in adulationis ſuſpicionẽ incurramus: nec officiorum noſtrorum delatione verecundiæ ac modeſtiæ fines tranſgrediamur.

Collocatio ſentẽtiarum in ſingulis officioſarum epiſtolarum partibus. Ad tractationem porrò atq; collocationem harum ſentẽtiarum quod attinet: quatuor officioſarum epiſtolarum ſunt partes: quarum prima Exordium conſtat:

Officioſarũ epiſtolarum Exordia. vel συστάσει ἠθικῇ morata expoſitione & commendatione amoris, neceſsitudinis, beneuolentiæ, meritorum. lib. 5. epiſt. 8. lib. 10. epiſt. 9. 13. 29. Vel excuſatione ſuperioris temporis ſimultatum. lib. 5. epiſt. 8. aut in ſcribendo breuitatis. lib. 3. epiſt. 1. Vel ſcribendi occaſione, & ἐπαναλήψει, literarum acceptarum. lib. 3. epiſt. 4. Vel ſignificatione lætitiæ ac voluptatis ex amici beneuolẽtia perceptę. lib. 10. epiſt. 9. lib. 11. epiſt. 8.

Propoſitiões Pars altera Pro-

poſitio

poſitio amoris,beneuolentiæ,officij atque ſtudij pollicitationem cōtinet. lib.3. epiſt. 1.4. lib.5. epiſt.8. lib.10. epiſt.9. Pars tertia Confirmatio rationes & cauſas complecti tur eas,quæ quaſi vincula ſunt quædam ad hominum voluntates copulandas: & ſumuntur, vel à commemoratione atq; exornatione ingenij,doctrinæ,humanitatis,beneficiorũ eius,cui noſtra officia deferimus. lib. 3. epiſt.1.4. lib.5. epiſt.8. lib.10. epiſt.9. 29. Vel noſtra beneuolentia, obſeruantia, conſtantia,integritate.lib.5.epiſt.8.Vel cōiunctione liberorum,fratrum,propinquorum,neceſſariorum, ſummorum virorum. lib.3.epiſt.4.iib.5.epiſt.8. Vel ſtudiorum & officiorum communione ac ſocietate. lib. 3.epiſt.4. Vel iudicio amici de nobis præclaro.lib.3.epiſt.4. Vel Reipubl.amore.lib. 5. epiſt. 8. lib.10. epiſt.9. Pars quarta & poſtrema Concluſio abſoluitur: aut teſtificatione fidei ac beneuolentiæ noua & ſtudiorum atq; officiorum ὑποσχέσει pollicitatione. lib.3.epiſt,1.lib.5.epiſt.8.lib.10.epiſt.29.lib. 11.epiſt.8.Aut ἀξιώσει petitione: vt ad nos ſępè ſcribat amicus & tantum quid fieri velit ſignificet.lib.5.epiſt.8.lib.10.epiſt.13. lib.11. epiſt.8.vel etiam mutuo in amore reſpondeat.lib.10.epiſt.9. Sunt autem huius gene

Confirmationes.

Cōcluſiones.

Materiæ officioſarum epiſtolarum apud Ciceronem.

ris Epiſtolarum apud Ciceronem materiæ variæ. Delationes officiorum in impetrando exulanti reditu. lib. 10. epiſt. 29. In hoſte perſequendo & opprimendo. lib. 10. epiſt. 15. In honore & dignitate prouehenda. lib. 5. epiſt. 8. lib. 10. epiſt. 13. lib. 11. epiſt. 6. In Republ. defendenda. lib. 10. epiſt. 7. 9. Generales & communes. lib. 3. epiſt. 1. 4. Nos exer-

Imitatio officioſę epiſtolæ.

citij gratia epiſt. 8. lib. 5. imitari conabimur, in qua Craſſo Cic. ſcribit, quænam abſenti præſtet, omniaq; ſtudia atq; officia ſua defert. Partes illius Epiſtolæ ſunt quatuor. Prima, Exordium, cõmendatione partim modeſta officiorum, partim ſuperiorum temporum excuſatione conſtans: facta *μεταστάσει* remotione & translatione culpę in temporis iniquitatem & homines maleuolos. Altera Propoſitio, quæ officiorũ & ſtudiorum *ὑπόσχεσιν* pollicitationem habet. Tertia Confirmatio, in qua cauſæ & rationes adferuntur, quibus ſcilicet adductus Cic. non poſsit non bene, & velle, & facere, Craſſo. Quarta & poſtrema Concluſio *ἀξιώσει* petitione abſoluitur. Rogat enim Craſſum Cicero, vt audacter omnibus in negotiis, cùm publicis, tùm priuatis ſua opera vtatur. Sententiæ tales eſſe poterunt.

1. *Quanto ego ſtudio negotia promouere tua conatus*

natus fuerim: ex amicorum tuorum literis intellexiſſe te arbitror.

II. *Neq; enim illud, aut ita eſt leue atq; exiguum, vt negligi: aut obſcurum, vt ignorari queat.*

III. *Tanta profectò contentione cum aduerſariis tuis adhuc decerto quotidiè: quanta nunquam antè, vel in meis, vel propinquorum meorum rebus decertare ſum ſolitus.*

IIII. *Faciam etiam illud in poſterum, operamq; dabo, vt ſi quid fortè neglectum à me ſuperioribus temporibus fuerit, compenſem ac ſarciam.*

V. *Quanquam tui iuuandi, aut ornandi non mihi ſtudium, ſed facultas defuit: quam tempora partim, partim homines quidam maleuoli ademerunt.*

VI. *Lætor ergo, & ex animo lætor, tempus aliquando extitiſſe, quo meam erga te promptam voluntatem, & amicitiæ perſpicere fidem poſſes.*

VII. *Me etiam conſecutum, vt & ij, qui tuam hic cauſam agunt, meis conſiliis atq; ſtudiis nitantur, & cæteri, qui tibi fauent, tui me amantiſſimum ac ſtudioſiſſimum: prompta officia, operam, curam, diligentiam paratam intelligant.*

VIII. *Neq; dubito, quin de iis quæ hactenus ſunt acta, & adhuc aguntur, tuorum iam ſis literis factus certior.*

IX. *De me ſic tibi perſuaſum habeas rogo: non caſu aut temeritate quadam amare me te atque colere*

cœpiſſe: ſed illud multis iam annis propoſitum habuiſſe: vt coniunctus eſſe tibi poſſem.

X. *Recordor etiam nunquam tuam mihi humanitatem atq; beneuolentiam defuiſſe.*

XI. *Si quæ interim ſimultates interuenerunt, vel potius ſuſpiciones leuiculæ ex rumuſculis incertis aut maleuolorum ſermunculis ortæ: ſint obliuione illæ perpetua ſepultæ omniq; è memoria noſtra euulſæ.*

XII. *Ea enim tu pietate, doctrina, virtute, autoritate præditus vir es: eum quoq; me eſſe cupio: vt amicitiam atq; coniunctionem iſtam noſtram: & voluptati nobis: & noſtris ornamento: & reipubl. vſui emolumentoq; fore confidam.*

XIII. *Itaque quo me deinceps habere loco velis ipſe ſtatues, &, vt ſpero, meo ex commodo & honore ſtatues.*

XIIII. *Ad me quod attinet: ſtudium meum eximium in omni genere officij, ſine vlla vllius, vel laboris, vel occupationis, vel periculi exceptione defero.*

XV. *Neq; hac in re amicis tuis, aut propinquis cedam: quos ego, & quia ſanguinis te communione attingunt: & quia viri ſunt boni, vnicè diligo.*

XVI. *Quæ quidem ad te perſcribere nunc placuit: vt ſcires, primum in ſuſcepta ſemel tui defenſione conſtantem me permanſurum.*

XVII. *Deinde in cæteris quoq; rebus, ſi quæ ad tuam, vel dignitatem, vel vtilitatem, vel voluntatem pertinere intellexero, vltrò me ſeduloq; facturum.*

XVIII. *Tum admonitum à te, vel per literas, vel amicos, in eo totum futurum, vt nihil à me fruſtra fuiſſe poſtulatum intelligas.*

XIX. *Itaque velim audacter tua mihi credas committasq́; omnia: tuis etiam præcipias: vt mea quantulacunq; opera, gratia, autoritate, in negotiis, cùm publicis, tùm priuatis, quotieſcunq; placuerit, vtantur. Vale.*

De ratione reſpondendi ad literas aliorum officioſas.

Quod ſi verò ad aliorum officioſas reſpondere epiſtolas placuerit: ſententiæ hîc adhibendæ erunt: ἐπαινετικοὶ laudantes: αὐξητικοὶ amplificantes: εὐχαριστικοὶ; agentes gratias: ὑποσχετικοὶ memoriam promittentes perpetuam: δεητικοὶ, ſimilem etiam deinceps beneuolentiam requirentes. Non enim perceptam modò amici voluntatem, ſtudiorumq́; collaudare delationem, & quæ ad eam ipſam augēdam videntur accommodata adhibere: verùm & cum gratiarum actione rogare amicū oportet, vt deinceps quoq; in nos eſſe animatus bene velit: omnia deniq; vſurpanda ea, quæ iis in epiſtolis obſeruanda eſſe monuimus, quibus reſpondere illis volumus, qui commēdationibus aut petitionibus noſtris locum reliquerunt.

Sentētiæ reſponſionibus officioſarum epiſtolarum accōmodatę.

Eſt autem horum ita collocatio inſtituēda: vt in parte prima, Exordio vel ſit ἐπα-

Sententiarū collocatio & tractatio.

νάληψις repetitio literarum breuis: & ἔπαινος laus ac prædicatio, amoris, ſtudij, beneuolentiæ amici. lib.6. epiſt.17. lib.7. epiſt.31. lib.10. epiſt. 19. lib.12. epiſt.12. Vel εὐχαριστία gratiarum actio. lib. 10. epiſt. 11. Altera, Propoſitio cum comprobatione voluntatis, petitionem complectatur, vt in nobis amandis atq; promouendis adhibere conſtantiam amicus velit. lib.6. epiſt.17. lib.7. epiſt.31. lib.10. epiſt.11. Tertia Confirmatio laudantibus atque amplificantibus conſtet ſententiis. lib. 6. epiſt. 17. lib. 10. epiſt. 11. Quarta Concluſio abſoluatur: vel lætitiæ ſignificatione & voto. lib.6. epiſt.17. Vel petitione, vt & deinceps noſtræ conſulere dignitati ac ſaluti amicus velit. lib.10. epiſt.9. lib.11. epiſt.12. Vel animi grati & memoriæ perpetuæ pollicitatione. lib. 10. epiſt.11. Sunt verò huius generis aliquot Ciceronis in Epiſtolis familiaribus exẽpla. Reſponſiones ad delationem officij in conuerſatione. lib.6. epiſt.12. lib.7. epiſt.31. In defenſione dignitatis. lib.10. epiſt.11. lib. 12. epiſt. 12. Et Reipub. contra hoſtes & tyrannos. lib. 10. epiſt. 19. Nos exercitij cauſa epiſt. 11. lib. decimi imitari conabimur: in qua Ciceroni primũ gratias Plancus agit: deinde in

Materiæ reſponſionum ad Epiſtolas officioſas.

Imitatio officioſæ epiſt.

de in ſe collata beneficia recenſet atque amplificat. Tum eũdem rogat, vt & porrò in Senatu ſeſe defendere velit. Poſt, eò-mò ſuam in Repub. defendendã fidem: in amicitiã grati animi memoriã defert ac pollicetur: ſimul etiã q̃ in bello cõtra Antoniũ gerendo propoſita habeat conſilia, indicat. Sententiæ tales eſſe poterũt.

I. *Magnas tibi nunc, vti debeo, ago gratias: maiores habeo, & habiturus ſum, dum anima ſpirabo mea: relaturum me affirmare mea me non ſinit tenuitas.*

II. *Tot enim tantaq; tua in me extant promerita: vt vix illa percenſere numerando, nedum remuneratione explere aliqua poſſim.*

III. *Niſi fortè, quæ tua eſt humanitas, retuliſſe me gratiam exiſtimaueris, ſi memoria ea tenuero.*

IIII. *Si de propinquorum, aut etiam liberorum agendum tibi rebus eſſet: maiorem profectò curam, fidem, diligentiam adhibere non poſſes, quã in hoc meo moleſto ſanè ac difficili negotio adhibere te intelligo.*

V. *Quot enim quantoſq; mei cauſa labores ſuſtineas: quorum hominum odium tibi atq; inuidiam concilies: quibus cum iurgiis propter me cõtendas: cognitum iam dudum exploratumq; habeo.*

VI. *Itaq; hæc nunc cura animo erit meo infixa perpetuò: vt & publicè dignum tua me laude atq;*

commendatione geram: & verò priuatim minimè committam: vt tuorum officiorum memoria meo ex animo effluxiſſe videatur.

VII. *Vale, & quem ſemel tua beneuolentia atque defenſione dignum iudicaſti, eundem & deinceps amare, fouere, tueri perge.*

DE CONCILIATORIIS EPISTOLIS.

COnciliatoriȩ Epiſtolȩ, ἐπαρεστικαὶ ϗ συσ-στατικαὶ appellatæ à græcis, ſunt, in q-bus fauorem ac beneuolentiam cõciliare nobis eorum ſtudemus, qui propter pietatem, doctrinam, virtutẽ, res geſtas ſunt in authoritate, ab iiſdemque verecundè petimus: vt nos in amicorum, aut clientum ſuorum numerum recipere: &, vel in ſtudiis, vel rebus aliis iuuare atq; promouere dignentur. *Vtilitas conciliatoriarũ epiſtolarum.* Genus hoc epiſtolarum longè pulcherrimum & vtiliſsimũ eſt, cùm aliis, tùm literatis maximè hominibus, qui nihil in votis optatiſque habent magis, quàm vt doctorum clarorumq; virorum ſibi amorem concilient, eundemq; ſemel adepti literarum crebritate atq; aliis officiis retineant. Inprimis verò adoleſcentibus hȩ ſunt literȩ neceſſariȩ: quibus nihil eſſe, vel vtilius, vel laudabilius

dabilius

dabilius, vel neceſſarium magis poteſt, quàm ſi à doctis & claris viris amentur, eorundemque in ſtudiis ac cæteris rebus vti cõſilio & auxilio queant. Sunt autem ſentẽtię in his potiſsimum ex adiunctis, cauſis & effectis ſumendæ: & quidem oſtendendum primò, moueri atq; impelli nos eius, ad quem ſcribimus, & in cuius inſinuare nos amorem ac beneuolẽtiam cupimus, pietate, eruditione, humanitate, bene de omnibus merendi prona propenſaq; voluntate: conſuetudine laudabili, cùm ipſius, tùm maiorum; ſtudiorũ deniq; ſimilitudine. Quò enim quiſq; eſt doctior: eò & humanior eſſe, ac lætari magis ſolet, occaſionem ſibi benefaciendi aliis offerri. Eos quoq; diligimus, qui illarum artium amore atq; cupiditate flagrant, in quibus excellimus, & nomen conſecuti aliquod ſumus. Quod ſi verò ad indoctum aliquem ſcribendum: diligenter eius vitæ conſideranda ratio erit: & obſeruandum, quibus ille maximè delectetur, & quorum nomine charus apud alios atq; honoratus eſſe cupiat. Ita ducis alicuius cõciliaturi beneuolentiam, eius fortitudinem, rei militaris peritiam, pręclarè geſta in bello commendabimus: in-

Sentẽtiæ conciliatoriarũ epiſtolarum.

ſinuare nos in ſenatoris alicuius volentes amicitiam commendationem adhibebimus prudentiæ, grauitatis, conſtantiæ. Omnes tñ ferè humanitatis delectari laude videntur: neq; quiſquam liberali erectoq; eſt præditus ingenio, qui non inde commendari velit. Deinde ſubindicandum & illud erit: neq; nos planè clarorum doctorumq; virorũ indignos amore eſſe: reperiri in nobis, ſi nõ multa, non tamen nulla prorſus, q̃ in ſui amorem homines pelliciant: cuiuſmodi ſunt: amor, obſeruantia, admiratio doctorum & magnorum virorũ: ſtudium & diligentia in capeſſendis artibus ac diſciplinis: honeſta laudis atq; gloriæ cupiditas, q̃ clarorũ hominũ comparari amore ac beneuolentia ſolet. Tum & q̃ hoc ſit nobis honeſtũ ac neceſſarium: ei verò ad quẽ ſcribimus laudabile, vel etiam vtile futurũ demonſtrabimus. In eo denique totos nos fore pollicebimur: vt magnorũ clarorumq; virorum non indigni fauore videamur: obſeruãtia in nobis & gratitudo debita nũquam deſideretur. Sed nec τὸ ἡδὺ iucũdum omittendum erit: propterea ꝙ, quemadmodum agricolæ lętari ſolent, cum quas ipſi plantarunt arbores fructus proferre

vident:

vidēt:ita ſenes & viri clari voluptate atq; lętitia perfunduntur: cum in cathedra, in ſuggeſtu, in foro: in curia, in cancellis, in aulis principū florere eos cernunt, quos amore ſunt & beneuolentia complexi: & quorum ſtudia ac conatus præclaros promouere non fuerunt dedignati. Iam verò ad moratas & conciliantes ſententias quod attinet, maximè illis hoc in epiſtolarum genere eſt opus: propterea quod & nimiis euehere laudibus eum cuius conciliare nobis beneuolentiam volumus, moleſtum eſt ac ingratum: & vel nos cōmendare, vel multa magnaq; polliceri, ſtultum atq; inuidioſum. Itaq; extenuatio hîc eſt verecunda ac modeſta neceſſaria, & oſtendendum nō eos nos quidem eſſe, qui tanti viri amorem atq; beneuolentiam ambire meritò queamus: non tamen cōmiſſuros, vt eadem indigni prorſus videamur. Deinde adulationis quoq; ſuſpicio, aut bonorum & prudentum offenſio declinabitur, ſi in laude ac prædicatione nō nimij fuerimus: addiderimus etiam: proprium hoc viros doctos, aut aliàs magnos atque claros habere: vt eſſe, quàm videri tales malint: nimia etiam ſui laude offendantur, non delectentur.

Sententiæ ἠθικαὶ moratæ & conciliantes.

Sententiæ παθητικαὶ mouentes.

Sed & mouẽdus erit animus eius ad quẽ ſcribimus,maximè ſpe ac fiducia: & promittenda, literatis ac prudentibus laus, iucunditas honeſta,prędicatio perpetua: indoctis,vtilitas & commoda quibus magis illi quã honeſtate, aut laude atq; gloria moueri ſolent. Ad tractationẽ porrò atq; collocationem quod attinet, quatuor potiſsimum partibus Conciliatorię epiſtolæ conſtant: quarum prima Exordium itá eſt inſtituendum,vt non vel pudenter,vel prudenter parum aliorum nobis conciliare amorem atq; beneuolentiam vélle videamur.Itaq; aut ſcriptionis cauſas indicabimus : petitas à prædicatione,vel ſpe egregia humanitatis, beneuolentię,auxilij eius ad quem literas damus.lib.5.epiſt.4.9.lib.15.epiſt.10. Aut eiuſdem intermiſſæ hactenus rationes exponemus.lib.5.epiſt.4. Aut lõgioris cauſarum enumerationis ἀποδιώξει reiectione vtemur.lib.6.epiſt.16. Pars altera Propoſitio ἀξιωματικὴ erit petitoria: vt quantum quidem amici fert voluntas,nos in ſuorũ albũ adſcribat. lib.5.epiſt.4.9.lib.6. epiſt. 16.lib.15.epiſt.10.Pars tertia Confirmatio argumenta cõtinebit, quæ ad nos amandos atque promouendos impellere amicum

Collocatio et tractatio ſententiarũ in ſingulis epiſtolæ partibus.

Exordia.

Propoſitiones.

Confirmationes.

cum

cum poſſunt: vt ſunt petita ab eius conſuetudine, ſtudio, amore, beneuolentia, lib.15.epiſt.10. Laude & commendatione doctrinæ, virtutum, aut cæterarũ rerum. lib. 5. epiſt. 4.9. lib. 15. epiſt. 10. Grati & memoris animi ſignificatione. lib. 5. epiſt.4. Neceſſario. lib.5. epiſt.4. Facili. lib. 15. epiſt. 10. Pars quarta & poſtrema *Cõcluſiones.* Concluſio conſtabit, vel δεήσει petitione, vt flagranti noſtro amori ignoſcere, commendatosq́; ſibi nos habere amicus dignetur. lib.15. epiſt.10. Vel ὑποσχέσει pollicitatione memoriȩ, fidei, obſeruantiæ, gratitudinis perpetuæ. lib.5. epiſt. 4.7. lib.6. epiſt.16. Sunt autem, quæ in Ciceronis *Materiæ cõciliatoriarũ epiſtolarum.* reperiuntur epiſtolis familiaribus, amoris ac beneuolentiæ conciliationes. lib. 5. epiſt.4.9. lib. 6. epiſt.16. lib. 15. epiſt. 10. Nos ad imitandum, 9. lib.5. nobis proponemus, *Imitatio cõciliatoriæ epiſtolæ.* in qua Ciceroni ſeſe de nota, quã aiunt, meliori Vatinius commendat. Partes illius Epiſtolæ ſunt: Principium, in quo cauſas Vatinius recenſet, quibus adductus Ciceronis ſibi conciliare beneuolentiam conetur. Propoſitio, in qua Ciceronem idem rogat, vt ſeſe commendatum ſibi habere velit. Confirmatio, petitionis cauſas & rationes cõtinens. Con-

cluſio quæ gratitudinis pollicitatione abſoluitur. Hanc ergo ſecuti epiſtolam à docto aliquo claroq́; viro petemus, vt in ſuorum nos amicorũ aut clientum numero habeat. Sententiæ tales eſſe poterunt.

I. *Si priſtinam adhuc conſuetudinem in amandis atq; promouendis bonarum artium ſtudioſis ſeruas: nunc ad te venio: & vt tuo dignum me amore ac patrocinio iudices, etiam atq; etiam rogo.*

II. *Non, opinor, me aſpernaberis & reiicies, qui alios plurimos ſingulari es humanitate ac beneuolentia complexus.*

III. *Cuius verò ego potiùs amorem & patrocinium expetam, quàm illius qui, cùm propter ingenij monumenta præclara, tùm egregias virtutes, plena, quod aiunt, manu collaudatur ab omnibus?*

IIII. *An verear, ne, qui nemini vnquam ſuam beneuolentiam denegarit: illiteratos quoq; amicitia dignos ſua iudicarit, is me repudiet?*

V. *Cum illud fieri plerunque videamus: vt qua quisq; in arte maximè excellit, eos qui eiuſdem ſunt amantes & ſtudioſi, amore perſequatur.*

VI. *Neq; ad hominum animos beneuolentia conglutinandos ſtudiorũ quicquam ſit ſimilitudine aptius atq; accommodatius.*

VII. *Quare, ſi, vt ſoles, adoleſcentes ſtudioſos amas: me quæſo, non doctum quidem, ſed tamen doctorum obſeruantem diſcendiq́; cupidum ſuſcipe ac*

pe ac commendatum habe.

VIII. Nota tibi ætatis eſt noſtræ imbecillitas, inſcitia, temeritas.

IX. Scis quàm in ſtudiis inſtituendis adoleſcentes errent ſæpè: quàm crebrò inſtitutum mutent: quàm multa iiſdem obiiciantur, ex quibus ſine prudentum ac doctorum virorum expedire ſeſe conſilio auxilioq; nequeunt.

X. Idem ego quoq; expertus hactenus ſum ſæpe: & adhuc experior quotidie.

XI. Quocirca tua in primis prudentia mihi eſt opus: quæ fluctuantem regat: &, vti ſpero, promta mihi parataq; erit.

XII. Fateor ſanè, & ingenuè libenterq; fateor: me à tua inſigni pietate: nominis celebritate præclara: doctrina eximia: autoritate ſumma longiſſimè abeſſe.

XIII. Neq; quot quantiſq; diſtentus ac diſtrictus negotiis tenearis ignorant ij, quibus tua iuuandi alios, cùm voluntas, tùm facultas eſt cognita.

XIIII. Veruntamē ſi ad eos, de quibus bene mereris quotidiè, me quoq; vnū minus quàm mediocrem aggregaueris: dies noctesq; in illud incūbam: vt gratū me fuiſſe, teq; alterum quaſi parentem coluiſſe atq; obſeruaſſe intelligas.

XV. Bene vale vir doctiſſime, & literis hiſce meis ignoſce: nec quam in iiſdem exarandis ſim infans, ſed tui amans conſidera.

DE MANDATORIIS EPI-STOLIS.

MAndatoriæ Epiſtolæ προστακτικαὶ appellantur, in quibus inferioribus & poteſtati noſtrę ſubiectis iniungimus: vt, quæ volumus, primo quoque tempore expediant. Eſt autem epiſtolarum hoc genus vtiliſsimum, cùm iis, qui in alios imperium obtinent: vt ſunt parẽtes, præceptores, magiſtratus: tùm qui principum, aut rerumpublicarum in cancellis verſantur, & dominorum ſuorum nomine ad alios ſcribere literas neceſſe habẽt. Itaque & de hoc paucis agemus. τὸ ἐπιτάσσειν, inquit Demetrius, σύντομον καὶ βραχύ: καὶ πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος. Itaque breuitati hîc eſt maximè ſtudendũ, & præcidenda, atque reiicienda multa: neque de rationibus atque argumentis multis cogitandum, cum illorum herilis voluntas locum suppleat. Neque etiam beneuolentiæ hîc eſt captatione opus, quæ apud ſuperiores, non inferiores adhiberi potiſsimum ſolet. Sunt tamen & hîc interdum rationes ac ſententiæ deſumptæ, vel à neceſsitate. lib. 16. epiſt. 29. lib. 14. epiſt. 20. Vel vtilitate. lib. 16. epiſt. 24. Vel facultate, quæ ex adiunctis, & rerum, perſona-

Vtilitas mãdatoriarum epiſtolarum.

Sententiæ προστακτικῆς mãdatoriæ.

ſonarum, locorum, temporis, modi, circumſtantiis oſtenditur. lib. 14. epiſt. 5. lib. 19. epiſt. 20. Et quia imperioſi qui ſunt nimis ingrati eſſe ſolent, aut commutatione odium declinatur: cum imperandi loco indicandi modus vſurpatur: aut præciſione facta, non neceſſe eſſe oſtenditur, vt adhortatio hîc vlla adhibeatur: cùm antè curæ ſint negotia ei, ad quem ſcribimus: aut cauſa exponitur, cur iiſdem de rebus ſcribatur ſæpius: quod rei ſcilicet nos magnitudine moueamur, non diligentiæ vel fidei alterius diffidamus. Sed & mouentia hîc locum habere argumenta poſſunt, quæ partim à metu: partim ſpe & confidentia ſumuntur. Sæpe enim ignaui qui ſunt, aut timidi, ad capeſſenda negotia pœnæ iniecto metu excitantur. Non etiam rarò qui erectis ſunt præditi ingeniis ſpe propoſita gratiæ, amoris, promotionis, excitantur, vt quæ in mandatis habent, & alacriter, & celeriter, expediant. Ad tractationem verò atq; collocationem quod attinet, quatuor illa partibus conſtat: Primum Exordio, q; ſumitur, vel à ſcribendi occaſione & negotij quod expediri volumus expoſitione. lib. 14. epiſt. 5. 6. Vel excuſatione lite-

Sententiæ ἠθικαί.

Sententiæ παθητικαί.

Collocatio argumentorũ & ſententiarum in ſingulis mandatoriarũ epiſtolarũ partibus.

Exordia.

rarum breuitatis.lib.14.epiſt.10.aut raritatis. lib. 14. epiſt.6. Vel expectatione & deſiderio earundem. lib. 16. epiſt. 19. 20. Vel directo mandato.lib. 16. epiſt. 23. Vel occupatione, qua diffidentiæ ſuſpicioni occurritur.lib.16.epiſt.24.

Propoſitiones.

Pars altera Propoſitio eſt πρόςταξιν ἢ ἐπιταγὴν ipſum mandatum continens, propoſitum, aut directò.lib.14.epiſt.5.6.20.lib.16. epiſt. 20.14. aut obliquè & παραλείψει preteritione.lib. 16.epiſt.19.23.

Confirmationes.

Pars tertia Confirmatio argumenta habet petita: aut à circumſtantiis, quę facultatē indicant.lib.14.epiſt.5. lib.16.epiſt.20. Aut vtilitate lib. 16. epiſt. 24. Aut neceſsitate.lib.14.epiſt.20.lib.16. epiſt.29.

Concluſiones.

Pars quarta Concuſio repetitione προςτάξεως mandati abſoluitur: vt ſine mora ac diligēter negotium curetur. lib. 14.epiſt.5.6.10. lib.16.epiſt.19.20.42.

Materiæ mādatoriarum literarū in Ciceronis epiſt.famil. variæ.

Sunt autem res quæ in mandatoriis Epiſtolis apud Ciceronem reperiuntur iſtæ. Mandatum de bonorū auctione. lib. 14. epiſt. 5. De ære alieno diſſoluendo.lib.14.epiſt. 6. De exigendo debito.lib.16.epiſt.19.23. 24. De literis crebrò mittendis. lib. 14. epiſt.10. De libris componendis & reditu maturando.lib. 16.epiſt.20. De parandis ad hoſpites excipiēdos neceſſariis.lib.14. epiſt.

epiſt. 20. Sunt & huius generis plurimæ eæq; elegantes Bembi epiſt. Leonis decimi nomine ſcriptæ: quę propter, cùm ſententiarum acumē atq; breuitatē, tùm ſtyli puritatem, elegantiam, venuſtatem verè Ciceronianā legendæ diligenter ſunt ab iis, qui vel regibus atq; principib. vel Rebuspub. aliquando in cancellis inſeruire cupiunt. Nos 24. lib. 16. imitati ablegato à nobis famulo mandabimus, vt commiſſa negotia diligenter & primo quoq; tempore expediat. Sententiæ eſſe tales poterunt.

Bembi epiſt. Leonis P. X. nomine ſcripta.

Imitatio mandatoriæ epiſtolæ Cic.

I. *Etſi paucos ante dies omnibus rebus prolixè ad te ſcripſerā: tamen cum certū hominē ad vos eūtem nactus eſſem: denuò de iiſdē ad te dare literas volui.*

II. *Non quod de tua diligentia dubitem, quā hactenus ego probaui ſemper: ſed quia rei me ita anxiū ſolicitumq; magnitudo reddit: vt niſi ea expedita, tranquillo pacatoq; eſſe animo nequeam.*

III. *Quo ego conſilio, quantiſq; te ſumptibus ablegarim, non ignoras.*

IIII. *Prora, quod aiunt, & puppis mihi fuit te ablegandi: vt & priuatas res meas expedires: & de publicis me certiorem faceres.*

V. *Creditoribus, vt primo quoq; tempore ſatis fiat, operam dabis.*

VI. *Ab iis quorum noſtris in tabulis nomē extat,*

ſi non omnem, ſaltem aliquam partem extorquebis: neque committes, vt tua nobis fraudi lenitas eſſe queat.

VII. *In primis autem curabis: vt in nundinis noſtris proximis expedita ſit penſio.*

VIII. *De rebus aliis priuatis videbis.*

IX. *De publicis omnia mihi certa: quid ex Italia, Gallia, Anglia ſcribatur: quæ hominum de bellis opinio.*

X. *Apud nos varia, ſine tamen capite & autore certo, ſparguntur.*

XI. *Ego niſi negotiis impedirer, ipſe ad vos excurrerem.*

XII. *Sed noſti rerum mearum ſtatum & conditionem.*

XIII. *Itaq; totus in eo eris: vt & de omnibus, prima quaq; oblata occaſione, certiorem me facias: & debitores, vel per procuratores noſtros admoneas, vel ipſe appelles. Vale.*

DE DISPVTATORIIS EPISTOLIS.

Diſputatoriarum epiſtolarum vtilitas.

VSitatiſsimum hoc eſt inter doctos Epiſtolarum genus, qui ſæpe per literas, vel feriò, vel ioco de quæſtione & controuerſia aliqua diſputant. Et prodeſt illud ipſum quoque plurimum: cum ſine diſputatione infrugifera atque inutilis eſſe

eſſe præceptio ſoleat:& omnibus in artibus diuerſæ diuerſorum opiniones atq; ſententiæ deprehendantur: coràm autē cum viris literatis de iiſdē diſſerere non omnibus liceat. Eſt verò duplex hoc epiſtolæ genus: vel enim propoſita aliqua quęſtione viri docti ſententiam exquirimus: vel aliorum expoſitis opinionibus quid nos ſentiamus, oſtendimus. In primo illo genere iiſdem vtendum ſententiis atque argumentis erit, quæ in petitoriis & communicatoriis epiſtolis adhibenda eſſe diximus. Tractatio quoq; ita inſtituenda: vt in Exordio beneuolentia concilietur: vel laude eruditionis & humanitatis illius ad quem ſcribimus: vel veniæ deprecatione atque excuſatione modeſta. In καταστάσει, controuerſia & quęſtio ipſa breuiſsimè proponatur. In confirmationē ἀπαριθμήσις enumeratio inſtituatur diuerſarum opinionum, & rationum quę vtrinque adferuntur, & dubios nos reddunt. Concluſio petitione & promiſsione abſoluatur: ita vt rogemus virum doctum, ne ſuam nobis de quæſtione & controuerſia propoſita explicare ſententiam grauetur: & eidem viciſsim debitam obſeruantiam gratique animi

Diſputatoriæ epiſtolæ duplices.

Sententiæ in diſputatoriis epiſtolis adhibendæ.

Collocatio in diſputatoriis epiſtolis obſeruanda.

memoriā deferamus. In poſteriore, præter modeſtiæ ſignificationem nulla beneuolentiæ eſt conciliatione opus: ſententiarum tantum atq; argumentorum requiritur expoſitio. Quam ad rem neceſſaria Dialecticorum eſt in diſputando methodus: & ratio inſtituendæ ἀντεξετάσεως, qua id quod verum, certum, firmum elicitur. Partes præcipuè duæ ſunt: narratio & concluſio: quarum illa ἐκθέσει variarum opinionum ac ſententiarum recitatione: hæc ἐπικρίσει noſtræ ſententiæ expoſitione abſoluitur. Nonnunquam tamen quatuor Ciceronis in epiſtolis reperiuntur. Exordium, ſumptum, vel à circumſtantiis & occaſione agitatę controuerſiæ. lib. 7. epiſt. 23. 26. Vel commendatione. lib. 7. epiſt. 22. Vel προθεραπεία ſeu προεπιπλήξει, præmunitione & præcaſtigatione ſententiæ de qua diſputaturi ſumus. lib. 9. epiſt. 22. Propoſitio ipſius προβλήματος quęſtionis & diſceptationis. lib. 7. epiſt. 22. 23. ἔκθεσις expoſitio & enumeratio opinionum ac ſententiarum variarum quæ in propoſita quæſtione reperiuntur. lib. 7. epiſt. 22. 23. 26. lib. 9. epiſt. 4. 22. Concluſio facta ἐπικρίσει iudicij & ſententiæ noſtræ expoſitione. lib. 7. epiſt. 23.

lib. 9.

lib. 9. epiſt. 22. Sunt autem quæſtiones quæ in diſputatoriis epiſtolis Ciceronis reperiuntur: de teſtamēto & cauſa hæreditaria. lib. 7. epiſt. 22. De actione hæredis contra furtum ante hæreditatem commiſſum. lib. 7. epiſt. 22. De veſicæ & viſcerum morbo, eiuſdemq́; cùm cauſis; tùm remediis. lib. 7. epiſt. 26. De futurorum neceſsitate & contingentia. lib. 9. epiſt. 4. De loquendi licentia. lib. 9. epiſt. 22. *Materiæ diſputat. epiſt.*

Nos exercitij cauſa 22. lib. 7. imitari conabimur: quòd licet breuis illa ſit, tamen puram atque ſimplicem διάλεξιν diſputationem atque diſquiſitionem continet. Conſtat autem primò ἀφηγήσει & notatione circumſtantiarum: deinde καταστάσει propoſitione quæſtionis; tum ἀπαριθμήσει authorum variorum enumeratione: poſtremò concluſione, quæ Ciceronis ἐπίκρισιν iudicium & ſententiam complectitur. Quas nos hunc in modum exprimere partes poterimus. *Imitatio diſputat. epiſt.*

I. *Illuſeras proximo in colloquio, quod dixeram, inter ipſos Philoſophos controuerſiam eſſe, poſſet nec ne hac in vita certò aliquid ſciri, aut cognoſci.*

II. *Itaque etſi domum reuerſus alia negotia*

inueneram: tamen locos quoſdam notaui, & deſcriptos tibi miſi: vt ſcires Herillos, Pyrrhonios, & Academicos *maximè recentiores ſcientiam omnem è medio ſuſtuliſſe.*

III. *Ego tamen* Platoni & Ariſtoteli *aſſentior, qui vt ſciri poſſe omnia, minimè aſſerunt: ita ſciri quoque nihil verè negant: cum, vt alia nunc mittam, diſcendi ardorem reſtingui: artes & diſciplinas cunctas corruere: legum atque honeſtatis omnis ruinam ſequi neceſſe ſit, ſi ſciri à nobis nihil hac poſſe in vita ſtatuatur.* Vale.

DE RATIONE CONTEXENDARVM EPISTOLARVM

Pars II.

DEMONSTRATIVI GENERIS: ET QVIDEM PRIMÒ GRATVLATORIAS EPISTOLAS CONTINENS.

ABSOLVTIS Deliberatiui generis Epiſtolis, reliquum eſt, de iis vt agatur, quæ ad Demonſtratiuum referendæ eſſe videntur: quales ſunt laudatoriæ, reprehenſoriæ, gratiarum continentes actiones, dedicatoriæ, gratulatoriæ: à quibus initium nunc faciemus, propterea quòd præ cæteris vſurpari crebrò illæ ſolent. Sunt autem gratula- *Demonſtratiui generis Epiſtolæ*

Gratulatoriæ Epiſt.

toriæ συγχαειςικαὶ Epiſtolę, in quibus amico de rerum ſucceſſu proſpero, & ad voluntatem fluente fortuna: de rebus bene præclareq; geſtis: de honore & dignitate: de affinitate, hisq; ſimilibus aliis gratulamur: & eidem, aut vſum illorum diuturnum, aut ſimilem in cæteris quoque ſucceſſum precamur. Id quod veri eſt amici officium: ſæpe etiam neceſſarium, propter homines autoritate & potentia magna præditos: quibus de aucta dignitate: nominis amplificata gloria: rebus laudabiliter fortiterque adminiſtratis, gratulari nos oportet. Eſt autem diligens in his & accurata primò, cùm rerum, tum perſonarum ratio habenda, videndumque: ſintne ea, propter quæ gratulatio inſtituenda, magna, & apud viros vſurpanda magnos, ideoq; amplam, ornatam, ſplendidam tractationem requirant: an verò exigua ac minutula, vt qui ſplendore in iis, aut ornatu magno vtatur, in lente, quod aiunt, vnguentum adhibere videatur. Deinde de argumentis eſt cogitandum, eademque eò dirigenda: vt lætitiæ nos & gratulationis cauſas habere iuſtas appareat. Sumuntur autem illa ex cauſis, effectis, adiunctis, comparatis: & oſten-

In gratulatoriis Epiſtolis quæ conſideranda.

Argumenta gratulationum.

& oſtenditur eſſe ea, quorum gratia amico gratulamur, virtute, conſilio, laboribus meritis præclaris: non caſu, gratia, prenſatione, largitionibus parta. Deinde eſſe præclara; parere honores: adferre dignitates: ab obliuione atque interitu amici vindicatum nomen ſumma cum laude ad poſteritatem vſque tranſmittere: eſſe ad virtutem declarandam apta: ad plurimorum prouehenda commoda accommodata: expetita à multis: impetrata à paucis: contigiſſe citò: & contigiſſe temporibus difficilimis: & contigiſſe conſentientibus, vel omnibus, vel ſaltem bonis ac prudentibus. Comparatio quoque eſt inſtituenda, quia ſæpe numero id quod ſua natura vſque adeò magnũ dignumque gratulatione non eſt: aliorum facta collatione maius redditur. Poſtremò docendum: eſſe eum, cui gratulamur, amicitia, neceſsitudine, ſanguinis communione, affinitate, aut aliis modis, ita nobis iunctum, vt eius non ſecus atque noſtræ curæ nobis cordique res eſſe debeant. Ad πάθη verò, animorum motus, quod attinet, locum hic maximè habent: χαρὰ gaudium & lætitia, quæ ex præſentibus bonis percipitur: χάρις

παθητικὰ mouentia argumenta.

gratia: ζῆλος æmulatio, quæ in cohortationibus cum primis prodeſt, cum eos, ſcilicet, quibus de fortuna gratulamur ſecunda, hortamur: vt iam non cum aliis tantùm ſed ſecum ipſi certent, operamq; dent, ne quam collectam bonorum habent laudem & gratiam effundant. Ad beneuolentiam porrò conciliandam, & ἤθη mores declarandos amabiles faciunt: ἐπαινέσεις collaudationes eius ad quē ſcribimus, ſine tamen κολακείας aſſentationis ſuſpicione: κοινωνίαι communicationes: cum oſtendimus exiſtimare nos ea quæ amico obtigerunt, nobis ipſis contigiſſe: propter amicitiam, propinquitatem, neceſsitudinem, aut alias cauſas: εὐχαὶ vota & precationes, cùm bene ominamur amico, ac precamur: vt quod eſt aſſecutus fauſtum eidem, felix, fortunatum, diuturnum ſit: παραινέσεις deniq; adhortationes aut apertæ, aut tectæ & occultæ. Quod verò ad horum omnium trāctationem & οἰκοδόμησιν quaſi coædificationem attinet: quatuor gratulatoriarū Epiſtolarū ſunt partes: quarum prima Exordium cōſtat: aut ἀφηγήσει narratione περιστατικῇ, & occaſione inſtitutæ gratulationis lib. 3. epiſt. 11. lib. 12. epiſt. 16. 19. Aut συγχαρείᾳ, gratulatione

ἠθικὰ conciliātia argumenta.

Collocatio inuentorum argumentorum.

Exordia gratulatoriarū Epiſtolarū.

lation e & ſignificatione lętitiæ, ex amici rebus ſecundis perceptæ, lib. 2. epiſt. 9. 19. lib. 3. epiſt. 12. lib. 6. epiſt. 12. lib. 8. epiſt. 13. lib. 12. epiſt. 13. lib. 15. epiſt. 7. 8. 12. Aut εὐχῇ voto. lib. 2. epiſt. 7. Aut ſeræ & dilatæ gratulationis excuſatione. lib. 2. epiſt. 7. 9. Pars altera κατάστασις Propoſitio eſt, q̃ vel nudã συγχαιρισίαν gratulationẽ cõtinet. lib. 2. epiſt. 9. lib. 3. epiſt. 11. lib. 6. epiſt. 11. lib. 10. epiſt. 8. lib. 12. epiſt. 16. Vel εὐχὴν votum habet & precationem, vt ea res bene feliciterque amico eueniat. lib. 12. epiſt. 19. Vel προτροπῇ adhortatione fit: vt prudenter amicus omnia gubernet ac moderetur. lib. 2. epiſt. 7. Pars tertia Confirmatio eſt, quæ gratulationis inſtitutæ argumenta complectitur petita: vel à cauſa efficiente rei, qua de gratulamur amico. lib. 3. epiſt. 11. lib. 6. epiſt. 11. lib. 15. epiſt. 7. 12. Vel rei ipſius conditione. lib. 8. epiſt. 13. lib. 12. epiſt. 13. lib. 15. epiſt. 7. Vel tẽporis ratione. lib. 12. epiſt. 2. Vel perſonæ, cui gratulamur, ingenio, doctrina, moribus. lib. 2. epiſt. 19. lib. 13. epiſt. 12. coniunctione & amicitia. lib. 12. epiſt. 16. lib. 15. epiſt. 7. 8. 12. beneficiis. lib. 15. epiſt. 8. Vel iudicio optimorum & prudentiſsimorum virorum. lib. 15. epiſt. 7. Pars quarta & poſtrema

Propoſitiones gratulatoriæ.

Confirmationes gratulatoriæ.

Concluſiones gratulatoriæ.

Concluſio abſoluitur: aut ὑποσχέσει delatione atque pollicitatione noſtræ beneuolentiæ, operæ, ſtudij, officij. lib. 2. epiſt. 19. lib. 3. epiſt. 11. 12. lib. 12. epiſt. 16. Aut προτροπῇ adhortatione ad partorũ, vel cuſtodiam & conſeruationem, vel vſum rectum & laudabilem, vel amplificationem. lib. 7. epiſt. 15. lib. 12. epiſt. 19. Aut ἀξιώσει petitione: vt commendatos nos, aut alios ſibi amicus habeat. lib. 2. epiſt. 7. lib. 12. epiſt. 13. lib. 15. epiſt. 7. 8. 12. Sunt autem gratulatoriæ apud Ciceronem epiſtolæ variæ.

Materiæ gratulationum variæ in epiſtolis Cicer.

Gratulationes de reſtitutione & reuocatione ab exilio. lib. 6. epiſt. 11. 12. Obtenta in iudicio victoria, & abſolutione. lib. 3. epiſt. 11. 12. Affinitate. lib. 8. epiſt. 13. Honoribus, & munere aut officio aliquo præclaro. lib. lib. 2. epiſt. 7. 9. 19. lib. 12. epiſt. 9. 12. 19. lib. 15. epiſt. 5. 7. 8. 9. 12. Victoria reportata. lib. 5. epiſt. 7. lib. 12. epiſt. 13. Liberorũ ingenio, ſtudiis, moribus. lib. 12. epiſt. 16. Amicitia & familiaritate magni alicuius viri. lib. 7. epiſt. 15. Valetudine recuperata. lib. 19. epiſt. 12. 14. Reditu in patriam. lib. 13. epiſt. 73.

Imitationis exemplum.

Nos ex his 7. lib. 2. imitari conabimur, in qua de tribunatu Cicero Curioni gratulatur. Partes epiſtolæ illius ſunt quatuor. Exordium in quo feram

gratu-

gratulationem Cicero excuſat, eiuſdemque cauſam, cùm in loci interuallum, tùm raritatem tabellariorum transfert. Propoſitio, quæ συγχαιρεσίαν gratulationẽ, cum προτροπῇ adhortatione coniunctam habet. Confirmatio argumentis conſtat, quibus ad diligentiam & conſtantiam Cicero Curionem hortatur. Concluſio ἀξιώσει petitione abſoluitur. Haſce imitando exprimemus partes tum, cum amico, cui conditio honeſta atque ſplendida, vel in principis alicuius aula: vel republ. vel eccleſia, vel ſchola contigit, gratulari, eundemque hortari volumus, vt rectè in illa laudabiliterque ſuo munere fungatur. Sententiæ tales eſſe poſſunt.

I. *Sera, modò vera, nec negligentia quadam fuerit prætermiſſa gratulatio bonorum virorum effugere reprehenſionem ſolet.*

II. *Itaque & mihi poſt feſtum, quod aiunt, venienti ignoſces, idq́; tabellariorum partim penuriæ, partim itineris longinquitati tribues.*

III. *Gratulor autem tibi, & ex animo gratulor de loco quem illuſtriß. principis in aula conſecutum te eſſe audio: & vt tibi tuisq́; laudi, emolumento aliis honos ſit iſte, precor.*

IIII. *Simul etiam, etſi, nec mea, nec cuiuſquam*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

alterius opus cohortatione habeas, pro ſingulari meo in te amore etiam atq; etiā te hortor: vt quem ſis in locum cuectus, & quid abs te requiratur, conſideres.

V. *Magnus eſt honos à conſiliis eſſe principi: ad negotia ardua: deliberationes adhiberi grauiſſimas.*

VI. *Sed habet honos iſte, crede mihi, onus non paruum.*

VII. *Multa hic requiruntur, quæ, ſi abſint, cum turpitudine atque dedecore honorem commutant: prudentia in conſiliis: in ſuſtinendis laboribus induſtriā: pietas, religio, fides in ſententia dicenda: in contemnendis hominum offenſionibus, vel etiam periculis, animi magnitudo, & conſtantia ſingularis.*

VIII. *Non temerè ſcribo, quæ ſcribo, ad quem etiam ſcribam ſcio: eſt perſpectus tuus mihi animus, ingenium cognitum: explorata morum probitas.*

IX. *Sed ipſe profectò intelligis, cuiuſmodi in tempora, non incideris, ſed veneris: rerum vis quanta: quanta negotiorum multitudo & varietas: quàm inconſtantes ac flexibiles hominum ſint voluntates: quot bonis inſidiæ ſtruantur in aulis, non ignoras.*

X. *Itaque amabo te, vnicum hoc vide, ne cui nimium fidas: neque quid ab aliis fiat, ſed quàm*

illud

illud fiat rectè & honeſtè, conſideres.

XI. *Te, non alios audi, tecum loquere: nec aliorum te, vel conſiliis, vel exemplis, à pietate, honeſtate, iuſtitia auferri ſine.*

XII. *Vtinam res ita meæ ferrent: vt coràm tibi gratulari: dignitatis tuæ eſſe ſpectator: de multis iiſdemq́; neceſſariis rebus tecum colloqui poſſem.*

XIII. *Sed quoniam, hoc quidem tempore, fieri illud nequit: haſce, ex amoris vi atq; magnitudine profectas literas, boni conſules.*

XIIII. *Deinde pro tuo ſingulari in me amore, res tibi meas commendatas habebis: de quibus & præſens tecum: & pòſt per literas ſæpius egi.*

XV. *Sed tum, vt cum adoleſcente docto & valde gratioſo: nunc vt cum conſiliario principis potentiſſimi.*

XVI. *Neq;, quod eſſe difficilius ſolet, nouum hîc aliquid, aut ſingulare & præcipuum, ſed illud peto, quod iam antè multis aliis conceſſum: à legibus etiam permiſſum eſt.*

XVII. *Tu modò caue, ne illud; honores mutāt mores, de te quoq; vſurpari queat: & dignitates illæ aulicæ aliam, quaſi in ſcena, te perſonam induere faciant. Vale.*

Ad hunc ergo modum, Ciceroniana ſecuti veſtigia, amico de conditione aliqua gratulari honeſtà poterimus. Quòd ſi verò de filij ad virtutẽ indole gratulari

Aliud imitationis exemplum.

parenti alicui placeat: 16. lib. 12. exemplo erit: in qua C. Trebonius Ciceroni de filij ſtudiis ac virtutibus egregiis gratulatur. Partibus illa quatuor abſoluitur: Exordio, ἀφηγήσει conſtante & occaſione inſtitutæ gratulationis: Propoſitione, quæ ipſam gratulationem, & lætitiæ ſignificationem continet. Confirmatione, in qua eiuſdem aliquot Trebonius rationes adfert: &, ne quid auribus dare Ciceronis videatur, occupationem præmittit. Studiorum denique & officiorum delatione. Quod enim ad ſcriptũ quoddam: deinde petitionem Trebonij attinet, vt in Cic. dialogos includatur, ea ab ipſa gratulatione remota ſunt. Poterunt ergo imitando iſta effingi hoc modo.

I. *Argentoratum veni ad 16. Cal. Iulij: atq; ibi, quod in votis ego optatisq; maximè habebam, filiũ tuum inueni bonarum artium ſtudiis deditum: ſummæ pietatis, modeſtiæ, diligentiæ, fama: charum Academiæ profeſſoribus: iucundũm condiſcipulis: acceptum iis, quorum tecto ille menſaq; vtitur: gratũ omnibus: inuiſum nemini.*

II. *Quæ ſanè res quantam mihi lætitiam atque voluptatem pepererit, vel tacente me, intelligere potes.*

III. *Amore enim te ſingulari complector: fero in ocu-*

in oculis,obſeruo,facio plurimi, quodq́; verorũ eſt amicorum proprium, etiam minimus tuis cõmodis, ne dum tanta felicitate gaudeo.

IIII. *Noſti meum ingenium: ſcis me non auribus cuiuſquam ſeruire, aut ad gratiam loqui.*

V. *Quare mihi affirmanti hoc crede: nihil adoleſcente tuo, atq; adeò noſtro (ſunt enim amicorum omnia cõmunia) aut amabilius iis, qui Argentinæ, nunc ſtudiorum gratia commorãtur: aut ſtudioſius earum artium atq; diſciplinarum, ſine quibus ſolida parari eruditio nullo modo poteſt.*

VI. *Itaq; quod facere verè poſſum, & facio libenter, de dono præclaro & raro, filio ſcilicet bene, cum literato, tùm morato tibi gratulor.*

VII. *Nec minus quoq; mihi: quem, quem, quia tuus, viri clariſſimi deq; me præclarè meriti, filius, neceſſe erat amare, talem nunc eſſe video: vt non ſolùm mea, verumetiam omnium bonorũ doctorumq́; virorum dignus beneuolentia ſit.*

VIII. *Cum etiam à me conuiuio exceptus, in ſermone inieciſſet, Galliam ſe viſere cupere: monitus à me eſt: vt, ſi pace hoc tua bonaq́; fieri gratia poſſet, id eo tempore potiſſimùm, quo eandem ego luſtrarem, faceret.*

IX. *Neq; dubitare te velim: omnia amoris, beneuolentiæ, humanitatis officia me ei præſtiturum: illud quoq; curaturum: vt præceptor illi doctus & fidelis adiungatur: ne, quod fieri non rarò ſolet, re-*

moto cuſtode, aut à prauis ſodalitiis corrumpatur: aut aliorſum iis à ſtudiis abducatur, in quæ tuis cohortationibus incitatur; iam etiam pleno eſt gradu ingreſſus.

X. *Quod reliquum eſt, Deum Opt. Max. rogo: vt, quoniam plerunq; ingenia præcocia nimis, antè, quàm ad fructus perueniant, & in ipſo quaſi ætatis extingui flore ſolent, lucis huius vſuram diuturnam ei concedere dignetur.*

X I. *Hoc ſi erit: dubium non eſt vllum: quin ſingulari aliquando, tibi gaudio: ornamento familiæ: rei verò publicæ vſui atq; emolumento futurus ſit.*

XII. *Quo res eſſent veſtræ in loco, cum haſce exarabam literas, ignorabam.*

XIII. *Rumores quidem hîc de vobis ſpargebãtur triſtes: ſed* ἀδήλαστοι; *& iam rauci ſunt facti.*

XIIII. *Itaque falſos, & fuiſſe exiſtimo: & eſſe cupio.*

X V. *Tu tamen, ſi cura me & ſolicitudine liberare magna volueris, de omnibus ad me primo quoque tempore ſcribes, &, quod facis, me meaq; ſtudia commendata tibi habebis. Vale.*

De ratione reſpondendi ad aliorum gratulationes. Quemadmodum verò amicorum, hoc eſt, munus, vt de fortuna ſecunda ſucceſſuq; rerum proſpero amicis gratulentur: ita viciſsim hoc à doctis & bonis viris requiritur: vt gratis animis eiuſmodi officium agnoſcant, idque miſsis ad amicos literis

literis teſtatum faciant. Neque verò diffi-
cile hoc erit iis, qui quonā pacto reſpon-
dendum, & gratiæ ſint agendæ illis, qui
commendationibus, aut aliis nobis offi-
ciis adfuerūt, cognitū iam perſpectumq́;
habent. Plerunque enim tales epiſtolæ *Sententiæ in reſpondendo obſeruandæ.*
ſententiis conſtant εὐχαριστικῶς gratias a-
gentibus: ἐπιδεικτικῶς, amici ſtudium atq;
officium laudantibus & amplificātibus,
petitis: à cauſis, effectis, adiūctis, & perſo-
na eorum qui gratulantur: comparatio-
ne & collatione: ὑποσχετικῶς, grati animi
memoriam promittētibus. Sed ſunt hoc
ipſo in genere etiam μειωτικαὶ extenuan-
tes ſententiæ adhibendæ. Quoniam e-
nim gratulationes laudem atque com-
mendationem continent eorum, quibus
de honore, dignitate, fortuna ſecunda
gratulamur: ne, quod ſtultorum eſt pro-
prium, nobis ipſis placere videamur: ſen-
tentiis vtendum eſt refellentibus, aut ex-
tenuantibus & corrigentibus id, quód
honorificè nimis de nobis ab amico eſt
perſcriptum: &, vel εὐχὴ votum, vel ἀρνή-
σις inficiatio, vel διαίρεσις voluntatis atq;
facultatis diſtinctio adhibenda. Artificio- *Sententiæ ἠθικαὶ moratæ & conciliantes.*
ſum enim hoc cumprimis, & ad mores
indicandos amabiles accommodatum:

cum quis aut optat, vt talis ſit, qualis eſſe dicitur: aut ſimpliciter agnoſcere ſeſe ea negat, quæ ſibi tribuuntur: aut, vt, voluntatem, ſtudium, conatum qualemcunq; profitetur, ita facultatem contrà à ſeſe remouet. Interdum etiam rationes ſunt & cauſæ reddendæ, cur factum aliquid, &, aut petitum, aut oblatum ab aliis non neglectum à nobis fuerit. Ad tractationem verò atque collocationem horum quod attinet, quatuor eiuſmodi reſponſiones partibus abſoluuntur: Primū Exordio, quod, vel ἐπαναλήψει repetitione conſtat breui gratulationis ab amico inſtitutæ. lib.4. epiſt.14. vel ſignificatione lætitiæ ex eadem perceptæ. lib.15. epiſt.6. Pars altera eſt Propoſitio, quæ gratulationis prædicationem & gratiarum actionē habet. lib. 4. epiſt. 14. lib. 15. epiſt. 6. Pars tertia Confirmatio eſt, in qua rationes & argumenta adferuntur: quare, aut gratæ nobis acceptæque amicorum ſint gratulationes, eademq; à cauſis, adiunctis cōparatis ſumuntur. lib. 15. epiſt. 6. aut admitti eædem non poſsint. lib. 4. epiſt. 14. aut factum admiſsúmue ſit id, de quo amicus nobis gratulatur. lib. 4. epiſt. 14. Pars quarta Concluſio, abſoluitur: vel

Collocatio in reſpondendo vt inſtituenda.

ὑποσχέσει

ὑποσχέσει officij pollicitatione. lib. 4. epiſt. 14. vel ἀξιώσει petitione. li. 15. epiſt. 6. Nam & amicus rogatur, vt perpetuò animatus in nos eſſe bene velit: & viciſsim omnia humanitatis, beneuolentię, gratitudinis eidem officia deferuntur. Sunt autē huius generis epiſtolæ modò indicatæ. Reſponſ. ad gratulationem de recuperata in vrbe dignitate, & nouis nuptiis. lib. 4. epiſt. 14. & honoribus. lib. 15. epiſt. 6. Quā hoc imitari tempore reſpondebimus ei qui de officio nobis eſt ac conditione gratulatus: & quatuor illas exprimere partes conabimur: Exordium lætitiæ, ex gratulatione perceptæ, ſignificationem continens: propoſitionem, gratulationis prædicationem habentem: confirmationem rationibus, partim ipſam gratulationem, partim inſtitutum probantibus conſtantem: concluſionem ἀξιώσει petitione confectam. Sententiæ tales eſſe poſſunt.

Materiæ reſponſionum ad epiſtolas gratulatorias.

Imitationis exemplum.

I. *Accepi literas tuas perquàm, & amanter, & humaniter ad me perſcriptas: in quibus de munere, quod mihi contigit, gratularis.*

II. *Quod quidem quātā me lætitia voluptateq́; affecerit, hiſce explicare literis ſatis nequeo.*

III. *Etenim ſi à laudato ſeſe laudari viro*

Næuianus ille Hector gloriatur, rectéq; ex obſcuri hominis ore profectas laudes ſordidas fieri alius affirmat: quanti obſecro tuum, viri longè prudentiſsimi doctiſsimiq;, facere iudicium me exiſtimas?

IIII. *Equidem, vel gratulationem hanc tuam, vel cuiuſcunq; tandem inſtituti mei approbationem omnibus omnium laudibus atq; ornamentis antepono: illa etiam quæ in votis iam dudum optatiſq; habui, conſecutum me iam arbitror.*

V. *Illud verò gratum cumprimis iucundumq; mihi extitit: quod, dum ea mihi tribuis, quæ ſi agnoſcerem, me profectò ipſum noſſe non viderer, quanto me complectaris amore, haud obſcurè indicas.*

VI. *De eo igitur mihi gratulor: tibi gratias, quas poſſum ago maximas; & vt ita in me ſis animatus perpetuò: conſiliis quoque me iuues tuis, etiam atq; etiam rogo.*

VII. *Cùm enim ingenij mei viriumq; imbecillitatem conſidero, & quæ temporum iam ſit conditio, paulò, vti debeo, perpendo diligentius: non poſſum non metuere, ne onere illo, quod humeris eſt meis impoſitum, opprimar.*

VIII. *Sed voluntatis ego meæ cauſas nuper tibi expoſui, quæ, etſi fortè minus probantur omnibus, hanc tamen rationem habent: vt non quidem vendendam meam operam aliis, aut munus aliquod &*

officium

officium ambiendum: ſed tamen, ſi deferatur, non negligendum eſſe exiſtimem.

IX. *Quia etiam ſemel iugo ceruices ſubmittere meas cœpi, in eo totus ero, vt non indignus loco illo iudicer: & , ſi nihil aliud, ſaltem fidem, integritatē, diligentiam meam viris bonis probem.*

X. *Tu, ſi (quod vnicè peto) vt honores meos ſummo tibi gaudio voluptatiq; eſſe oſtendiſti, ita commendatos eoſdem deinceps habueris, & me iam antè multis nominibus tibi obligatum, deuinctum magis obſtrictumq; reddes: & ſimul præclarè de meis omnibus, atque adeò Repub. tota mereberis. Vale.*

DE GRATIARVM ACTIONIBVS.

AD cauſæ genus Demonſtratiuum εὐχαριστικαὶ gratiarū actiones referri poſſe videntur propterea, quod inſtitui illæ non poſſunt ſine laude atque amplificatione beneficij eius, quod ab amico eſt præſtitum. Eſt autem huius generis epiſtolarum tractatio diligenter ab eloquentiæ ſtudioſis obſeruanda: quia alterum qui non laudat, excuſari poteſt: & qui non vituperat ea, quæ cum turpitudine ſunt atque dedecore coniuncta, facilius aliorum effugere reprehenſiones ſolet, *Vtilitas εὐχαριστικῶν epiſtolarum.*

quàm qui bene de ſe meritis gratias, neq; agere, neque referre cupit. Et præclarè ille apud Plautum, ſi, inquit, bonis quid fit boni, idem, & gratum, & graue eſſe conſueuit: eò quòd animum illi gratum habent, ſemperq; ſeruos ſeſe eſſe arbitrãtur, donec gratias, aut egerint, aut retulerint.

Argumenta gratiarum actionum. Vt autem rectè hic inuentio inſtituatur, conſiderandum eſt primò: ſit ne beneficium ab aliquo collatum eiuſcemodi, vt laudem & gratiarum actionem mereatur. Deinde argumenta ἐπαινετικὰ laudantia quærenda, eademque ex cauſis & *ἐπαινετικὰ laudantia.* effectis ſumenda. Laudamus enim beneficium, & gratiarum dignum actione iudicamus: quia honeſtum: quia laudabile: quia virtute coniunctum: & ad eandem merita atque beneficia accepta traducenda ſunt omnia: vt illa quoque exornari ſolent, quæ nobis vel ſummè neceſſaria: vel commoda plurima maximaque adferunt: vel iucunditatem atque voluptatem aliquam pariunt: vel prædicantur ab iis, in quos collata: quæ ad effectus referuntur. Amplificantia etiam hic adhiben*αὐξητικὰ amplificantia.* da, quæ comparatorum potiſſimùm, & adiunctorum loci ſuppeditant. Magnum enim beneficium videtur, quando cum

aliis

aliis comparatur:aut oſtēditur: amicum vel primum,vel ſolum,vel inter non paucos præcipuum extitiſſe,qui beneficium contulerit.Circumſtantiæ itidem rei,perſonæ,modi, temporis,loci, ſua natura exigua beneficia commendant, augent, amplificant:atq; efficiunt,vt grata ſint ea: quæ data vltrò; non precibus atq; interceſsione impetrata: quæ data non temerè,ſed cōſilio certo: quæ data cum aliquo periculo,aut offenſione aliorum:quę data à viro magno, ſummaque authoritate prædito: quæ data indignis, neq; eiuſcemodi aliqua promeritis: quæ data citò, tempeſtiuè, ſæpe: quæ deniq; diuturna, ſtabilia,& perpetua eſſe videntur. Verùm hîc poëticæ atq; nimiæ amplificationes vitandæ: præſertim apud viros bonos, doctos,prudentes,qui laudationes eas,q̃ veritatem excedunt,& adulationes oderunt: aſſumenda quoq; ἠθικὰ, quæ mores indicant amabiles, & ad beneuolentiam ſunt conciliandam accōmodata: cuiuſmodi ſunt μειώσεις extenuationes virium atque facultatum in referenda gratia: & εὐχαὶ vota ac precationes, vt Deus largè exoluat,quod nos compenſare nō poſſumus: & προθεραπεία præmunitiones,ne, *ἠθικὰ conciliantia argumenta.*

vel adulatoriè accepta beneficia amplificare, vel in petitione noua verecundiæ tranſgredi fines: aut de amici in nobis noſtriſq; amandis & promouendis dubitare fide ac conſtantia videamur. Poſtremò etiam mouentium argumentorum eſt ratio habenda. Neque enim ſatis eſt laudare, celebrare, amplificare beneficium acceptum: verùm etiam mouere eos, ad quos ſcribimus, oportet: vt de ſua in nos noſtróſue prona propenſaque voluntate nihil remittant & adhibere ea, quæ excitant: ζῆλον æmulationem: ἡδονὴν voluptatem & lætitiam: φιλίαν amorem & beneuolentiam: ἐλπίδα ſpem animi grati & remunerationis. Ad collocationem verò atque tractationem horum argumentorum quod attinet: quatuor epiſtolarum εὐχαριστικῶν ſunt partes: quarum prima Exordium conſtat: aut ſignificatione lætitiæ & voluptatis ex amici beneficio & ſtudio perceptæ. lib. 13. epiſt. 24. 54. 55. lib. 15. epiſt. 11. Aut gratiarum actione τῇ εὐχαριστίᾳ. lib. 10. epiſt. 11. lib. 13. epiſt. 28. 41. 42. 64. Aut coniunctionis & neceſsitudinis declaratione. lib. 13. epiſt. 62. Aut inſtitutæ ſcriptionis excuſatione. lib. 13. epiſt. 27. Aut occaſionis expoſitione. lib. 3. epiſt. 5.

αὐξητικὰ mouentia argumenta.

Collocatio inuentorum argumentorum.

Exordia gratiarũ actionis.

Pars altera Propoſitio, vel εὐχαριστίαν gratiarum actionem continet. lib. 3. epiſt. 5. lib.13.epiſt.24.92.lib.15.epiſt.11.vel ἀξίωσιν petitionem habet, vt quod iam fecit amicus, deinceps quoque facere minimè grauetur.lib.10.epiſt.11.lib.13.epiſt.54.62. 66.Pars tertia Confirmatio eſt, quæ accepti beneficij commendationem atque amplificationem complectitur, deſumptam, vel à cauſis.lib.3.epiſt.5.vel effectis. lib.13.epiſt. 28.41.42.64. vel comparatis. lib.10.epiſt.11.lib.13.epiſt.27.42.vel adiunctis & circumſtantiis: modi. lib.10.epiſt. 11.temporis. lib. 11. epiſt.29. perſonarum. lib.13. epiſt. 27.54.64. lib. 15 epiſt.11. Pars quarta & proſtrema Concluſio abſoluitur: aut ὑποσχέσει pollicitatione memoris gratiq; animi.lib.3.epiſt.5.lib.10. epiſt.11. lib.11. epiſt.29.lib.13.epiſt.27.28.41.62. 64. Aut præciſione & reiectione.lib.3.epiſt.5. li.13.epiſt.24. Aut petitione & cõmendatione noua: vt quæ initio, & oſtendit, & fecit amicus: ad exitum augere atque cumulare: nos etiam aut noſtros, benignè complecti velit.lib.10.epiſt.11.lib.11.epiſt. 29.lib.13. epiſt. 25. 27.28.41.42. 55.64. Aut εὐχῇ voto pio.lib.15.epiſt.11. Sunt autem, quæ Ciceronis in epiſtolis reperiuntur,

Propoſitiones.

Confirmationes.

Concluſiones.

Materiæ εὐχαριστικῶν epiſtolarũ variæ in epiſtolis Cicer.

gratiarum actiones variæ: pro liberaliter, benignè, honorificè tractato amico. lib.13.epiſt. 27.41.54.64. pro comprobato & aucto honore. lib. 3. epiſt.13. lib. 15. epiſt. 11. pro dignitate defenſa. lib. 10. epiſt. 11. pro adhortatione amica & fideli. lib. 11. epiſt. 21. pro conſilio in rebus dubiis dato. lib. 11. epiſt.29. pro offenſione depoſita.lib.13.epiſt.24.pro expedita ſucceſsione facta.lib.3.epiſt.5.pro hæreditaria re promota.lib.13. epiſt.28. pro æris alieni diſſolutione. lib. 12. epiſt. 42. pro impetrato in patriam reditu atque reſtitutione.lib.13.epiſt.62.Nos exercitij gratia. 28. lib.13. imitari conabimur, in qua pro humaniter benigneque tractato Meſcinio Cicero gratias Sulpitio agit.Partes illius ſunt: Exordium, εὐχαριστία gratiarum actione conſtans. Confirmatio beneficiorum Sulpitij laudatione atque amplificatione facta. Concluſio petitione & animi grati pollicitatione abſoluta. Has ſecuti, amico, qui adoleſcentem à nobis commendatum benignè eſt humaniterque complexus, gratias agemus hoc modo.

Imitationis exemplum.

I. *Etſi libenter petere ſoleo, ſi qua in re tuo mei auxilio egent: tamen multò libentius gratias tibi* ago,

ago, cùm meis literis adductus tua in alios contuliſti beneficia: quod profectò feciſti hactenus, & crebrò, & liberaliter.

II. Dici enim non poteſt, quantas mihi gratias agant ij, quibus meis eſt literis ad te aditus factus: quàm tuam in ſe humanitatem liberalitatemq́; prædicent: quàm hoc nomine ſeſe non tibi modò, verùm etiã mihi obſtrictos deuinctosq́; ſeſe, & eſſe iam fateantur, & fore polliceantur perpetuò.

III. Quæ, me CHRISTE, mihi grata ſunt, deceptaq́; omnia: ſed de Philippo nobili doctoq́; adoleſcente gratiſſimum.

IIII. Ita enim ad me ſcribit, te, vt meas literas legeris, largè liberaliterq́; promiſiſſe omnia: longè verò plura, maioraq́; præſtitiſſe.

V. Id ergo (repetendum enim hoc eſt ſæpe) tam mihi gratum eſt, quàm quod gratiſſimum.

VI. Sed & propterea maiori me lætitia afficit: quòd illud ipſum etiam tibi haud parum profuturum confido.

VII. Eſt enim in adoleſcente eo, præter familiæ ſplendorem & antiquitatẽ generis, ſingularis pietas: probitas ſumma: eximia, cùm erga ſuperiores obſeruantia: tùm benè meritos gratitudo: diſcendi ardor incredibilis.

VIII. Itaque quando bono gratoq́; homini nauare te operam intelligis: quibus tandem cunque in rebus poteris, tua in eum beneficia augebis.

IX. *Deinde, ſi fortè rei nummariæ difficultate laborauerit, mea illi fide aderis.*

X. *Neq; enim propter itineris longinquitatem, & verò hominũ perfidiam, aut citò, aut tutò tranſmitti ad vos ſemper nummi poſſunt.*

XI. *Et in his ergo optimo nobiliſsimoq; adoleſcenti ſuccurres: & perſuaſum planè habebis: huic quæ feceris, non mihi ſolùm, qui multis magnisq; de cauſis eundem amo: verùm etiam familiæ nobiliſsimæ atq; laudatiſsimæ grata acceptaq; fore.*

Ratio reſpondendi ad aliorum gratiarum actiones.

Hunc igitur ad modum Ciceroniana veſtigia ſecuti, benè de nobis noſtrisque meritis gratias agere poterimus. Iam verò quemadmodum honeſtas illud à nobis exigere videtur, vt iis, qui beneficiis nos multis magnisq; affecerunt, gratias, ſi non referamus, ſaltem agamus: ita quoque neceſſe nonnunquam habemus, vt qui gratis animis noſtra agnoſcunt promerita, proq; iis per literas gratias agunt, humaniter beneuoléque reſpondeamus: & quæ illi amplificant & exaggerant, aut modeſtè verbis extenuemus: aut intermitti non potuiſſe oſtendamus: aut collaudato amici facto, plura ei maioraque deferamus. Sunt enim, quod ad inuentionem attinet, ſententiæ hîc adhibendæ μειωτικαὶ extenuantes beneficium in amicum

Sententiæ in reſpondendo adhibendæ.

micum collatum: & ἐπαινετικοὶ laudantes atque commendantes amici, cùm alias virtutes, tùm verò grati animi beneuolentiam ac pietatem: & ὑποσχετικοὶ officia atque ſtudia plura ac maiora promittentes. Neque verò extenuantes inuenire ſententias difficile eſt iis, qui amplificationum locos paulò indicatos antè conſiderauerint: cùm contrariorum eadem eſſe doctrina atque perceptio ſoleat. Illud in his videndum: ne nimis, aut noſtra beneficia extenuemus, aut collaudemus amicum: aut eidem deferamus officia, atque ſtudia: ſed verecundè, parcè, moderatè hæc omnia faciamus. Collocatio autem ita inſtituitur: vt primum habeat locum ἔπαινος laus teſtificationis animi grati: & ſignificatio lætitiæ atque voluptatis inde perceptæ. lib. 2. epiſt. 18. lib. 5. epiſt. 11. lib. 10. epiſt. 19. Hanc ſequatur propoſitio: ὑπόσχεσις officij ac ſtudij noui, & voluntatis promptæ delationem continens. lib. 2. epiſt. 18. lib. 5. epiſt. 11. Eandẽ excipiant: aut rationes, quibus adducti gratificari amicis velimus. lib. 5. epiſt. 11. Aut approbationes illorum, quæ ab iiſdem dicta & facta. lib. 10. epiſt. 19. Aut conſiliorum cõmunicationes. lib. 2. epiſt. 18.

Conciliantes & moratæ ſententiæ.

Tractatio & collocatio inuentarũ ſententiarum.

Concluſiones abſoluantur: ὑποσχέσεως ἀνανεώσει promiſsionis renouatione. lib. 5. epiſt. 11. lib. 11. epiſt. 20. Vel προτροπῇ cohortatione. lib. 10. epiſt. 19. Huius generis apud Ciceronem Familiaribus in epiſtolis non vſque adeò multa, ſed egregia interim exempla reperiuntur. Reſponſiones ad εὐχαριστίαν gratiarum actionem pro præſtitis: aut commendato ab amicis officiis. lib. 2. epiſt. 18. Aut illis ipſis. lib. 5. epiſt. 11. lib. 10. epiſt. 19. Quam nos poſtremam imitati ei, qui promotus à nobis, gratias per literas egit, reſpondebimus ita: vt iiſdem retentis partibus: & quàm nobis iucunda animi grati atq; memoris extiterit ſignificatio, oſtendamus: &, ne de eadem dubitaſſe videamur, comparatione facta, iucundam quidem illam ſemper, at illuſtriorem nunquam fuiſſe contendamus: & quæ ab amico, vel ſcripta, vel facta commendemus: & denique adhortatione fideli atq; amica finem epiſtolæ imponamus. Sententiæ eſſe tales poterunt.

Materia reſponſionum ad epiſtolas εὐχαριστικὰς gratias agentes.

I. *Etſi gratiarum à te actionem neq; expectabam, neq; deſiderabam, cum eſſe te gratiſſimum iam antè cognitum perſpectumq; haberem: tamen (dicam enim quod res eſt) perquàm ea grata acceptaq; mihi extitit.*

II. In-

II. Inde enim amari me abs te, & non amari leuiter ac vulgariter intellexi.

III. Quid, inquies, amorem in te meum hactenus nunquam deprehendiſti?

IIII. Deprehendi ſemper: ſed nullo vnquam, quàm hoc tempore illuſtrius.

V. Ex amoris enim abundantia illam eſſe profectam laudem atq; commendationẽ beneficij video, quod in te eſt à me nuperrimè collatum.

VI. Simul etiam dicendi artem, cui operam hactenus dediſti, egregiè tenere te intelligo, dum, quæ parua ſunt & minutula beneficia, ſummis in cœlum vſq; laudibus euehis.

VII. Atq; vt vtrunq; mihi longè eſt gratiſſimũ: & quod amori hic in me tuo pluſculum tribuis: & amplificatoriè magis, quàm verè ſcribis: ita operam daturus ſum ſedulò: vt & deinceps ad tua me procuranda prouehendaq; commoda promptum ſemper paratumq; fuiſſe ſentias.

VIII. Literæ tuæ domũ miſſæ, mirabiliter gratæ acceptæq;, nõ mihi ſolum, tuisq; parentibus & amicis: verum etiam aliis viris doctis & prudentibus fuerunt: propter, & verborum elegantiam ac puritatem: & ſententias pias, graues, eruditas, quibus conditæ illæ fuerunt.

IX. Itaq; iam nihil reliquum eſſe videtur aliud, niſi in id ſedulò incumbas: vt quam Deus Optimus Maximus parandæ gloriæ eſt & bonorũ virorum

colligendæ gratiæ facultatem tibi largitus, eam è manibus effluere tibi ne patiaris; ſed complectaris conſtanterq; retineas.

X. *Erit hoc parentibus tuis & familiæ toti gratum: mihi, quem huius tu fortunæ extitiſſe vis autorem, iucundum: tibi verò cumprimis neceſſarium, cùm alias ob cauſas, tùm propter hominum maximè inuidiam atq; obtrectationes, quas plerunq; hoc experiri tempore ij ſolent; quos mitior paulò lenioréq; afflare aura videtur. Vale.*

DE EPISTOLIS NVNCVPATORIIS SEV DEDICATORIIS.

NVncupatoriæ, ſeu, vt nunc loquuntur, Dedicatoriæ Epiſtolæ appellantur, quas προσφωνητικὰς Græci nominant: cum ſcilicet opus aliquod ſub magni cuiuſdem clariquè viri nomine lucem hāc aſpicere volumus: ideoq; & illud commendamus: & προσφωνήσεως compellationis cauſas reddimus: & vt grato idem animo accipiatur rogamus. Ad genus autem cauſæ Demonſtratiuum eiuſcemodi propterea referri poſſe epiſtolę videntur: quia laudatione illæ atque commenmendatione, tùm operis ipſius, tùm eius ad quem illud mittitur, conſtant. Qua qui-

Dedicatoriæ epiſt. ad genus demonſtratiuũ cur referantur.

quidem in re diligentia eſt & prudentia magna opus: ne aut labores noſtros, veluti filiolas ex nobis natas, exoſculemur atque commendemus nimium: aut adulatoriè eorum laudes perſequamur, ſub quorum nomine in hominũ venire manus noſtrà ſcripta cupimus. Simul etiam illud conſiderandum: duo eiuſcemodi dedicationum ſeu nũcupationum apud Ciceronem reperiri genera. Sunt enim quædam, quæ ſine προσφωνήσει dedicatione, ſcriptorũ ἀφήγησιν expoſitionem atq; miſsionem continent, & quaſi, non veræ dedicatoriæ appellari epiſtolæ poſſunt. Sunt deinde aliæ, quæ certæ cuiuſdam perſonæ προσφώνησιν compellationem aliaq; habent, quæ in nuncupationibus atque dedicationibus adhibenda ſunt. De vtroq; genere ſeorſim agemus: & quidem ad miſsionem operum quod attinet, ſententias illæ habent: vel ἀπολογικὰς, quibus ſuſcepti laboris cauſæ indicantur: & aut ab amicorum voluntate & petitionibus crebris: aut ocio conceſſo: aut temporum conditione & Reipublicæ ſtatu: aut materiæ vtilitate petuntur: vel προτρεπτικὰς, ad lectionem hortantes aſſiduam: vel ἀπολογητικὰς καὶ προληπτικὰς, ex-

Dedicationũ duo apud Ciceronem genera.

Sententiæ in mittẽdis ſcriptis & operibus à Cic. vſurpatæ.

cuſationes continentes difficultatis, obſcuritatis, tarditatis, libertatis aut acerbitatis in ſcribendo, ſumptas à rei indignitate: aut perſonæ improbitate: aut aliorum exemplis: vel denique διατυπωτικὰς, quibus ordo atque methodus ſignificatur. Ad tractationem verò atque collocationem quod attinet, etſi eius indicari certa via atq; ratio commodè nequeat, proptereà quòd non ſolitariæ eiuſcemodi miſsiones, ſed cum aliis plerunq; materiis coniunctæ in epiſtolis reperiuntur: tamen ita ferè inſtitui ea ſolet: vt primum teneat locum, ἔκθεσις αἰτιῶν cauſarum expoſitio, miſsi ad amicum operis. lib.7.epiſt.19. lib.9.epiſt. 8.12.lib.12.epiſt. 19. lib. 15. epiſt. 20. Sequatur deinde: vel ἔνδειξις ſignificatio methodi.lib.7.epiſt.19. lib.9.epiſt. 8. vel occupatio, quæ excuſationem habeat, aut difficultatis & obſcuritatis lib.7.epiſt.19.lib.9. epiſt.8. παῤῥησίας libertatis & acerbitatis lib.12.epiſt.16.aut tarditatis.lib.9. epiſt.12. Tum ſubiungatur προτροπὴ adhortatio ad operis lectionem.lib.7.epiſt.19.lib.12.epiſt.17.vel ſimilia ſtudia colenda, tractanda, abſoluenda. lib. 9. epiſt. 8. aut ὑπόσχεσις pollicitatio aliorum operum, ſed breuis ac verecunda.ibi-

Tractatio & collocatio ſententiarum.

da. ibidem. Nam & hîc ἦθος ſeruandum: ſtudendum modeſtiæ: adhibendæ ἐλαττώσεις extenuationes: ne noſtra amare: aut arroganter nimis multa polliceri videamur. Sunt aũt eiuſcemodi operum miſſiones Ciceronis in Epiſtolis familiaribus variæ. lib. Rhet. lib. 6. epiſt. 19. lib. 12. epiſt. 17. lib. 15. epiſt 20. Topicorum lib. 7. epiſt. 19. Academicarum quæſt. lib. 9. epiſt. 8. Orationis Deiotaranæ lib. 9. epiſt. 12. libelli editi contra Cæſarẽ lib. 12. epiſt. 16. Sunt & in Epiſtolis ad Atticũ huius generis aliquot, & quidẽ egregiæ epiſtolæ: vt lib. 1. epiſt. 16. in qua conſulatus ſui commentarios Attico Cicero mittit lib. 2. epiſt. 1. vbi de orationibus conſularibus ac Philippicis agit lib. 4. epiſt. 15. in qua de libris oratoriis, & maximè prooemiis, & interlocutoribus ſcribit lib. 13. epiſt. 13. in qua libros ſuos Academicos Attico commendat: & 21. eiuſdem in qua lib. de finibus fit mentio. lib. 15. epiſt. 13. in qua cur de officiis libros filio inſcripſerit, oſtendit lib. 16. epiſt. 6. in qua libri de gloria meminit: & 11. eiuſdem in qua inſcriptionis officiorum cauſas reddit. Nos exercitij gratia 8. lib. 9. famil. imitari conabimur, in qua libros ſuos Academicos Varroni

Materiæ miſſionis operum variæ in epiſtolis Ciceronis familiaribus.

Imitationis exemplum.

Cicero mittit, eundemque monet, vt de Latina lingua inchoatos libros abſoluere & ad ſe mittere velit. Partes ſunt quatuor: quarum prima cauſarum expoſitionem continet, cur Academicos ad Varronem libros mittat. Altera methodi inſtitutæ, & perſonarũ, quibus ſermo in dialogo tribuitur, rationes complectitur. Tertia προθέσει partim cohortatione ad excolenda ſtudia, & vel ſimilia vel alia tractanda: partim pollicitatione aliorum ſcriptorum conſtat. Poſtrema εὐχῇ voto abſoluitur: vt benè fœliciterq; emptio & migratio eueniat. Haſce ergo ſecuti partes, orationes à nobis confectas amicò mittemus, eundemq; vt pari par referat hortabimur, hoc modo.

I. *Etſi munus poſtulare, quamuis quis promiſerit, hominis parum prudentis atque verecundi eſſe videatur, tamen ſcriptorum tuorum deſiderio moueor, amicos tibi hoſce vt mittam, qui te non flagitent: ſed moueant ac rogent: vt promiſsis te exoluas atque liberes.*

II. *Expectaui ſanè iam diu aliquid, & quidem Sophoclæum teq; omnino dignum: neq; ante ad te mittere aliquid volui: quàm à te aliquid accepiſſem: vt ſcilicet* ἀντίδωρον *à me aliquod haberes.*

III. *Quia verò illud tardius, hoc eſt, vt ego interpre-*

terpretor, diligentius facis: & priuſquam in hominum venire manus tua ſinas: incudi ſæpe reddis atq; expolis: initium facere, atque illud: manum de tabula, in memoriam tibi reuocare volui.

IIII. *Scripſi igitur aliquot orationes cõtrarias, inq; iis quæ plerique laudant omnes improbaui.*

V. *Arbitror fore, vt, eas vbi legeris, inſtitutum hoc meum mirere,*

VI. *Sed noſti morẽ ac cõſuetudinẽ ſcholarũ rhetoricarũ, in quibus exercitationis gratia pro falſis & iniuſtis aliquando dicere minime inutile iudicatur.*

VII. *Neq; Carneadem, niſi ab vnico reprehenſum Catone exiſtimo: cum iiſdem viribus iuſtitiam, & oppugnauit, & defendit.*

VIII. *Poſthac autem plura à me accipies: modò per temporis iniquitatem, aut occupationes, facere id mihi licuerit.*

IX. *Tu operam interim dabis: par pari vt referas inq; debitum (quod aiunt) promiſſum cadere omne ſtatues.*

X. *Profectionem valetudinis cauſa ſuſceptam fœliciter euenire tibi cupio, tuumq; ea in re inſtitutum laudo ac probo. Vale.*

Aque hæc de primo nuncupationum & dedicationum ſint genere dicta. Reliquum eſt, de altero vt agatur: quod & certæ cuiuſdam perſonę προσφώνησιν compellationẽ, & alia continet, quę in eiuſce-

De altero genere dedicationum.

Sententiæ q in librorum principiis apud Ciceronem reperiuntur.

modi dedicationibus obſeruanda ſunt. Suppeditant verò generis huius exépla egregia προθύσεις principia atque veſtibula librorum ad amicos à Cicerone miſſorum: quæ ſunt aut αἰτιολογικά, & cauſas continent, vel προσφωνήσεως dedicationis atq; compellationis eorum, ſub quorum nomine in lucem ſcripta prodeunt. 1. de oratore. 3. de finibus. 1. offic. de ſenectute, in paradóxis: vel ſuſcepti in manus operis, easq; petitas: à voluntate & petitioné eius cui illud inſcribimus, libro 1. ad Herennium: 1. de oratore: in oratore perfecto: Topicis: à materia & argumenti vtilitate. libro 1. ad Heren. 1. de inuentione. 1. de oratore: in oratore perfecto: in topicis. 3. & 5. Tuſcul. 1. de natura. 1. de diuinatione. ab eiuſdem difficultate. 1. de oratore: in oratore perfecto. 1. de natura: de fato: à perſona autoris. 1. Acad. quæſtion. 1 & 2. 5. Tuſcul. 1. de diuinatione. 3. officiorum. ab exemplis aliorum. 2. de inuentione. 1. Acad. quæſt. 4. Tuſcul. 1. de Diuinatione. Aut ἀπολογητικὰ καὶ ἀνασκευαστικά, defenſionem habent, & refutationem eorum, quæ obiici atque reprehendi poſſe videntur. libro. 4. ad Herennium: libro 2. Academic. quæſtion. libro. 1. & 4.

2. Genus ἀπολογητικὸν καὶ ἀνασκευαστικόν.

1.& 4. de finibus: libro. 1. de Natura deo-
rum : libro 2. Officiorum. Aut μεταβατικὰ, 3. *Genus μεταβατικὸν.*
quæ conſtant tractatorum ἀνακαινώσει re
nouatione, & καταστάσει propoſitione eo-
rum quæ tractanda reſtant. libro 3. ad
Herennium : libro. 1. & 2. de Inuentione:
libro 1. de Oratore : libro 2. de Diuinatio-
ne : libro 2. Officiorum. Aut διατυπωτικὰ, 4. *Genus διατυπωτικόν.*
futuræ tractationis rationem & metho-
dum indicantia. libro 1. de Oratore : li-
bro 2. & 3. de Finibus: libro 1. & 2. de Na-
tura deorum : de Fato : libro 1. Officio-
rum : de Senectute : de Amicitia. Aut περι- 5. *Genus περιστατικόν.*
στατικὰ, perſonarum, loci, temporis, alia-
rumque circumſtantiarum notatione fa-
cta : libro 1. & 2. Academicarum quæſtio-
num : libro 5. de Finibus : libro 1. de Na-
tura deorũ: de Fato: in Somnio Scipionis:
libro 1. & 2. de Legibus: de Amicitia. Aut 6. *προτρεπτικόν.*
προτρεπτικὰ ad lectionẽ aſsiduã incitantia:
libro 1. & 3. ad Herenium: libro 1. & 3. Of-
ficiorum. Sed & ἠθικαὶ moratæ atq; conci- *ἠθικαὶ morata & conciliantes ſententiæ in dedicationibus obſeruandæ.*
liantes in his ipſis ſunt ſentẽtiæ conſide-
randæ, operaq; danda: ne aut πλεονεξίας aua-
ritię: aut κολακείας, adulationis: aut φιλαυτίας
amoris nimij aliqua in dedicationibus
ſuſpicio oriatur. Fit aũt illud ſi in προσφω-
νήσει, præter eius, qui appellatur, virtutes,

merita, poſtulata nobis propoſitum nihil fuiſſe oſtendatur. Addatur deinde: in os laudare amicum nos nolle: quod ita animatum eum eſſe ſciamus: vt, quod ille ait, onus illi ſit graue, nimium laudari. Tum vitandæ arrogantiæ & φιλαυτίας gratia ἐλαττώσεις καὶ ὑποκορισμοί imminutiones adhibeantur: labor concedatur & ſtudiũ, & voluntas bene de aliis merendi: ſed interim facultas negetur: vſurpetur id q; de Deiotarana Cicero ſcribit, cauſam eſſe, vel materiam tenuem, inopem, nec ſcriptione magnopere dignam: munuſculũ leuidenſe, &c. promittatur, nos, ſi quid temerè prætermiſſum, aut non ſatis eleganter expreſſum fuerit, ab aliis melius [illegible]ctos: lib[illegible]r ſententiã noſtram mu[illegible]
[illegible]ur & illud, quod in per[illegible]
[illegible]ero vſurpat: aggreſſos
[illegible], non tam perficiũdi ſpe:
[illegible]di voluntate: malle nos
[illegible]ſequamur ami[illegible]m, deſi[illegible]
[illegible]s prudentiam [illegible] quàm
[illegible]imus, ben[illegible]. Ad
[illegible] quod [illegible]llud in[illegible]
[illegible]ibus,
[illegible], læti[illegible]
[illegible]ere ami[illegible]
[illegible]us de-

çus delectetur. Deinde ἐλπὶς ſpes ac confidentia: vt idem opus illud vtile: προσφώνησιν verò compellationem honorificam ſibi fore confidat. Poſtremò φιλία amor, vt cùm eiuſdem cauſas intelligat impellentes: à nobis quoque laudari ſeſe cognoſcat, amore nos ac beneuolentia complectatur. Nos exercitationis gratia προσφώνησιν appellatione Herrennij, quæ primo eſt libro Rhetoric. imitari conabimur. Etſi enim breuis ſit illa: tamen elegans atque erudita imitationeque digna eſt. Partibus illa tribus abſoluitur: quarum prima ἀπολογικὴ eſt: in qua cauſas author, tùm κωλυτικὰς ſcriptionem impedientes, tùm προτρεπτικὰς ad eandem impellentes, indicat. Altera σύστασιν commendationem operis cõtinet: comparatione Græcorum, ſed modeſtè inſtitutam. Poſtrema προτροπῇ adhortatione, ad ἄσκησιν exercitationem diligentem conſtat. Has er- ſecuti partes morum atq; vitæ præce- amico inſcribemus, hoc modo. *Imitationis exemplum.*

tſi publicis negotiis diſtrictus vix ſatis otij ad curandas res habeam: & id ipſum, quod con- r otij, in oratoriis conſumere ſtudiis malim: parentis, viri clariſſimi, & de me req; pu optimè meriti voluntas me impulit: vt de

morum vitæq; doctrina quædam conſcriberem: ne aut declinaſſe laborem: aut parenti gratificari tuo: tibi commodare noluiſſe viderer.

II. *Id quoq; eò feci, & libentius, & ſtudioſius: quod non ſine cauſa parentem tuum, hæc quoq; te cognoſcere velle intelligebam.*

III. *Neq; enim parum vtilitatis hæc adferre doctrina ſolet: cum & de hominis hac in vita felicitate agat: & quonam pacto animi ſint cohibēdæ perturbationes oſtendat: & virtutum atq; vitiorum vim ac naturam explicet: & deniq; conſtanter honeſteq; viuendi rationem præſcribat.*

IIII. *Itaq; ſit aliarum artium cognitio vtilis: ſit iucunda & ſuauis: ſit laudabilis atque honorifica: huius profectò ita eſt neceſſaria: vt carere ea nemo poßit: modò moderatio in illa aliqua adhibeatur.*

V. *Quamobrem ea, quæ aut noſtris temporibus non ſunt accommodata: aut allata à philoſophis diſputandi gratia, reliqui: perſecutus autem ſum illa, quæ honeſtè, & ſecundum virtutem viuendi rationi ſunt apta atq; idonea.*

VI. *Non enim, vel lucelli alicuius ſpe illectus, vel gloriolæ adductus cupiditate ad ſcribendum acceſſi: ſed induſtria quantulacunque mea, & parentis tui morem voluntati gerere: & tua promouere ſtudia volui.*

VII. *Boni ergo labores hoſce meos conſules: ſimul etiam illud cogitabis: cum in virtutis non cognitio-*

gnitione, ſed actione laus ſit omnis poſita, quæ hic traduntur, non animo modo excipienda & cognoſcenda, verum etiam vita atque moribus exprimenda eſſe.

Ad hunc igitur modum nuncupationes atq; dedicationes inſtitui poterunt. Quod ſi verò ad illas reſpondere alicui placuerit: ſententiæ primum adferendæ erunt ἐπαινετικαὶ laudantes & commendantes opus inſtitutum: ab argumenti dignitate, vtilitate, neceſsitate: methodi facilitate ac perſpicuitate: orationis genere puro, latino, eleganti. Deinde εὐχαριστικαὶ gratiarum actionem continẽtes. Gratias enim agemus amico, q̄ ſua nobis aut mittere, aut inſcribere opera voluerit: & oſtendemus pertinere hoc plurimum ad noſtrum honorem: teſtatum etiam facere amorem ſingularem, quo ille nos complectatur: grati quoque animi memoriam perpetuam pollicebimur. Poſtremò ἀξιωματικαὶ petitoriæ. Rogabimus enim amicum: vt & huius generis alia in lucem deinceps emittere, atq; ita cùm bonorum adoleſcentum ſtudiis, tùm ſuæ famæ atque exiſtimationi conſulere velit. Tractatio verò & collocatio harum ſententiarum ita eſt inſtituenda:

De ratione reſpondendi aliarum dedicat.

Sententiæ in reſponſionibus dedicat. obſeruandæ.

Collocatio ſententiarũ.

vt primum habeat locum, ἀφήγησις narratio in qua exponamus: accepiſſe nos & legiſſe ea, quę ad nos amicus miſerit. Hâc deinde ſequatur propoſitio ἐγκωμιαστικὴ καὶ ἐπαινετικὴ, laudatoria. Eandem tertio excipiat confirmatio, quæ inſtitutę laudationis rationes cõtineat. Poſtrema pars conclusio gratiarum actione & petitione abſoluatur.

Imitationis in reſpõdendo exemplũ.

Hanc ergo methodum ſecuti, epiſtolæ reſpõdebimus paulò ante in primo dedicationum genere exercitij cauſa propoſitæ, hoc modo.

I. *Accepi literas tuas, vnà cum orationibus ad me miſsis, quarũ ego lectione mirificè ſum delectatus, tuamq; illam admirabilem, cùm ingenij vim, tùm dicendi copiam in iis deprehendi.*

II. *Quid quæris? eruditæ, artificioſæ, verè Ciceronianæ ſunt.*

III. *Neq; enim in iis verborum tantum, aut ornamentorum Ciceronianorum eſt imitatio: ſed & ſententiarum, & ſtructuræ, & aliorum eſt expreſſio, quæ à prudenti literatoq; obſeruari imitatore, & ſolent, & debent.*

IIII. *Itaq;, vt maximè eas laudo proboq;: ita q̃ mittere mihi volueris tibi gratias, quas poſſum ago maximas: relaturus cum primum aliqua ſeſe obtulerit occaſio.*

V. *Quod enim mirari me arbitraris, cur in contrariis*

trariis te orationibus exerceas, liberare omni te ſo-licitudine volo.

VI. *Nota mihi veterum hac in re eſt conſuetudo: quid Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, aliiq́; dicendi magiſtri hoc de exercitationis genere ſcribant, ſcio: perſpecta eiuſdem inſignis mihi vtilitas eſt.*

VII. *A me autem quod exigis: pari par vt referam: plùs amori in me tuo, quàm vero iudicio tribuis.*

VIII. *Veruntamen, quia omnino à me hoc poſtulas, tentabo ſanè aliquid: ſed* χρύσεα χαλκείων: *& Diomedis & Glauci permutatio erit.*

IX. *Sed & hunc ipſum, vti ſpero, æqui boniq́; conatum conſules: ſimul etiam pluribus in lucem ſcriptis tuis emittendis: & benè de bonorum adoleſcentum ſtudiis mereri: & ſurgenti tuæ conſulere gloriæ conaberis. Vale.*

DE LAVDATORIIS EPISTOLIS.

LAudatoriæ epiſtolæ, à Græcis ἐπαινετικαὶ appellatæ, ſunt quæ, vel perſonarum, vel factorum, vel rerum laudem, atque commendationem continent: & vtiliter, ſępè etiam neceſſariò adhibentur. Nam & ad virtutes atque actiones præclaras illæ alios inflãmant, cùm, vt quiſq; *Vtilitas laudatoriarum epiſtolarum.*

erecto eſt excelſoque præditus ingenio, ita laude maximè ducitur: & ſunt hæ veluti præmia, quæ virtuti debentur: & ad hominum colligendam gratiam atque beneuolentiam plurimùm conducunt: & ad adhortationes inſtituendas non parum proſunt: cum qui apertè moneri nolunt, obliquè & laude quadam ad excolendas virtutes ſunt extimulandi: & neceſſariò interdum in perſona, vel noſtra, vel amici, tum commendanda, tum excuſanda requiruntur: & ſæpe à parentibus, præceptoribus, amicis flagitatur eorum, qui peregrinantur: & hominũ obſeruare mores: Rerũpub: leges atq; inſtituta notare: non ædificia ſolum, aut ſitum videre locorum, deq; iis domum ad ſuos perſcribere debent. Sumuntur autẽ ſententiæ in laudatoriis epiſt. vel à cauſis: hoc eſt, virtutibus, quæ & per ſe ſunt laudabiles, & laudabiles atq; gratioſos reddunt eos, in quibus deprehenduntur: vel effectis, actionibus ſcilicet, cum honeſtate, vtilitate, iucũditate coniunctis: vel adiunctis, & circumſtantiis perſonarum, temporis, loci, modi: vel cõparatis, & exemplis noſtris aut aliorum: vel teſtimoniis, iudicio, ſermone, & approbatione omnium,

Sẽtẽtiæ laudationũ probantes.

nium, aut ſaltem bonorum virorum. Ad *παθητικαὶ monentes ſententia.* πάθη verò animorũ motus q; attinet, quoniam laudationis finis præcipuus voluptas eſt & delectatio: motus quoq; hîc adhibendi erunt, non vehemẽtes ſed lenes, & voluptati atq; delectationi accommodati; cuiuſmodi ſunt χαρὰ gaudium, & lętitia: ἡδονὴ voluptas: χάρις gratia: ζῆλος æmulatio: ἐλπὶς ſpes: vt ampliſsimis præmiis propoſitis ſtrenuè atq; conſtanter *ἠθικαὶ moratæ & conciliantes ſententiæ.* amicus pergat. Sed neq; moratæ hîc ſunt atq; conciliantes ſententiæ negligendæ: verùm opera primùm danda, vt viri eſſe boni videamur, & quę in aliis laudamus, in nobis quoq; eſſe oſtendamus. Deinde laudationis ſunt cauſæ falſæ parumque honeſtæ remouendæ: cuiuſmodi ſunt: adulatio, gratiæ captatio, ſpes lucri & commodi. Tum & amplificationes vitandæ nimiæ atque hyperbolicę: ac veritati, modeſtiæ, grauitati ſtudendum. *Collocatio ſentẽtiarum in epiſtolis laudatoriis.* Sunt autem, quo ad ſententiarum harum tractationem atque collocationem, tres potiſsimùm laudatoriarum epiſtolarum partes: quarũ prima Exordium conſtat: vel ἀφηγήσει narratione, quæ ſcriptionis ac laudationis inſtitutæ ἀφορμὴν occaſionem cõtinet, lib. 9. epiſt, 6. lib. 12. epiſt, 16.

colligendæ gratiæ facultatem tibi largitus, eam è manibus effluere tibi ne patiaris; ſed complectaris conſtanterq; retineas.

X. *Erit hoc parentibus tuis & familiæ toti gratum: mihi, quem huius tu fortunæ extitiſſe vis autorem, iucundum: tibi verò cumprimis neceſſarium, cùm alias ob cauſas, tùm propter hominum maximè inuidiam atq; obtrectationes, quas plerunq; hoc experiri tempore ij ſolent, quos mitior paulò lenior q; afflare aura videtur. Vale.*

DE EPISTOLIS NVNCVPATORIIS SEV DEDICATORIIS.

NVncupatoriæ, ſeu, vt nunc loquuntur, Dedicatoriæ Epiſtolæ appellantur, quas προσφωνητικὰς Græci nominant: cum ſcilicet opus aliquod ſub magni cuiuſdem clarique viri nomine lucem hãc aſpicere volumus: ideoq; & illud commendamus: & προσφωνήσεως compellationis cauſas reddimus: & vt grato idem animo accipiatur rogamus. Ad genus autem cauſæ Demonſtratiuum eiuſcemodi propterea referri poſſe epiſtolę videntur: quia laudatione illæ atque commenmendatione, tùm operis ipſius, tùm eius ad quem illud mittitur, conſtant. Qua qui-

Dedicatoriæ epiſt. ad genus demonſtratiuũ cur referantur.

quidem in re diligentia eſt & prudentia magna opus: ne aut labores noſtros, veluti filiolas ex nobis natas, exoſculemur atque commendemus nimium: aut adulatoriè eorum laudes perſequamur, ſub quorum nomine in hominũ venire manus noſtra ſcripta cupimus. Simul etiam illud conſiderandum: duo eiuſcemodi dedicationum ſeu nũcupationum apud Ciceronem reperiri genera. Sunt enim quædam, quæ ſine προσφωνήσει dedicatione, ſcriptorũ ἀφήγησιν expoſitionem atq; miſsionem continent, & quaſi, non veræ dedicatoriæ appellari epiſtolæ poſſunt. Sunt deinde aliæ, quæ certæ cuiuſdam perſonæ προσφώνησιν compellationem aliaq; habent, quæ in nuncupationibus atque dedicationibus adhibenda ſunt. De vtroq; genere ſeorſim agemus: & quidem ad miſsionem operum quod attinet, ſententias illæ habent: vel ἀπολογικὰς, quibus ſuſcepti laboris cauſæ indicantur: & aut ab amicorum voluntate & petitionibus crebris: aut ocio conceſſo: aut temporum conditione & Reipublicæ ſtatu: aut materiæ vtilitate petuntur: vel προτρεπτικὰς, ad lectionem hortantes aſſiduam: vel ἀπολογητικὰς καὶ προληπτικὰς, ex-

Dedicationũ duo apud Ciceronem genera.

Sententiæ in mittẽdis ſcriptis & operibus à Cic. vſurpatæ.

cuſationes continentes difficultatis, obſcuritatis, tarditatis, libertatis aut acerbitatis in ſcribendo, ſumptas à rei indignitate: aut perſonæ improbitate: aut aliorum exemplis: vel denique διατυπωτικὰς, quibus ordo atque methodus ſignificatur. *Tractatio & collocatio ſententiarum.* Ad tractationem verò atque collocationem quod attinet, etſi eius indicari certa via atq; ratio commodè nequeat, propterea quòd non ſolitariæ eiuſcemodi miſsiones, ſed cum aliis plerunq; materiis coniunctæ in epiſtolis reperiuntur: tamen ita ferè inſtitui ea ſolet: vt primum teneat locum, ἔκθεσις αἰτιῶν cauſarum expoſitio, miſsi ad amicum operis. lib.7.epiſt.19. lib.9.epiſt. 8.12. lib.12.epiſt. 19. lib. 15. epiſt. 20. Sequatur deinde: vel ἔνδειξις ſignificatio methodi. lib.7.epiſt.19. lib.9.epiſt. 8. vel occupatio, quæ excuſationem habeat, aut difficultatis & obſcuritatis lib.7.epiſt.19. lib.9. epiſt.8. παῤῥησίας libertatis & acerbitatis lib.12.epiſt.16. aut tarditatis. lib.9. epiſt.12. Tum ſubiungatur προτροπὴ adhortatio ad operis lectionem. lib.7.epiſt.19. lib.12.epiſt.17. vel ſimilia ſtudia colenda, tractanda, abſoluenda. lib. 9. epiſt. 8. aut ὑπόσχεσις pollicitatio aliorum operum, ſed breuis ac verecunda. ibi-

da. ibidem. Nam & hic ἦθος ſeruandum: ſtudendum modeſtiæ: adhibendæ ἐλαττώσεις extenuationes: ne noſtra amare: aut arroganter nimis multa polliceri videamur. Sunt aũt eiuſcemodi operum miſſiones Ciceronis in Epiſtolis familiaribus variæ. lib. Rhet. lib. 6. epiſt. 19. lib. 12. epiſt. 17. lib. 15. epiſt 20. Topicorum lib. 7. epiſt. 19. Academicarum quęſt. lib. 9. epiſt. 8. Orationis Deiotaranæ lib. 9. epiſt. 12. libelli editi contra Cæſarẽ lib. 12. epiſt. 10. Sunt & in Epiſtolis ad Atticũ huius generis aliquot, & quidẽ egregiæ epiſtolæ: vt lib. 1. epiſt. 16. in qua conſulatus ſui commentarios Attico Cicero mittit lib. 2. epiſt. 1. vbi de orationibus conſularibus ac Philippicis agit lib. 4. epiſt. 15. in qua de libris oratoriis, & maximè procemiis, & interlocutoribus ſcribit lib. 13. epiſt. 13. in qua libros ſuos Academicos Attico commendat: & 21. eiuſdem in qua lib. de finibus fit mentio. lib. 15. epiſt. 13. in qua cur de officiis libros filio inſcripſerit, oſtendit lib. 16. epiſt. 6. in qua libri de gloria meminit: & 11. eiuſdem in qua inſcriptionis officiorum cauſas reddit. Nos exercitij gratia 8. lib. 9. famil. imitari conabimur, in qua libros ſuos Academicos Varroni

Materiæ miſſionis operũ variæ in epiſtolis Ciceronis familiaribus.

Imitationis exemplum.

Cicero mittit, eundemque monet, vt de Latina lingua inchoatos libros abſolue-re & ad ſe mittere velit. Partes ſunt qua-tuor: quarum prima cauſarum expoſitio-nem continet, cur Academicos ad Varro-nem libros mittat. Altera methodi inſti-tutæ, & perſonarũ, quibus ſermo in dia-logo tribuitur, rationes complectitur. Tertia προθέσῃ partim cohortatione ad excolenda ſtudia, & vel ſimilia vel alia tractanda: partim pollicitatione aliorum ſcriptorum conſtat. Poſtrema εὐχῇ voto abſoluitur: vt benè fœliciterq; emptio & migratio eueniat. Haſce ergo ſecuti par-tes, orationes à nobis confectas amicò mittemus, eundemq; vt pari par referat hortabimur, hoc modo.

I. *Etſi munus poſtulare, quamuis quis promi-ſerit, hominis parum prudentis atque verecundi eſ-ſe videatur, tamen ſcriptorum tuorum deſiderio moueor, amicos tibi hoſce vt mittam, qui te non fla-gitent: ſed moueant ac rogent: vt promißis te exol-uas atque liberes.*

II. *Expectaui ſanè iam diu aliquid, & quidem Sophoclæum teq; omnino dignum: neq; ante ad te mittere aliquid volui: quàm à te aliquid accepiſſem: vt ſcilicet ἀντίδωρον à me aliquod haberes.*

III. *Quia verò illud tardius, hoc eſt, vt ego in-*

terpre-

terpretor, diligentius facis: & priuſquam in hominum venire manus tua ſinas: incudi ſæpe reddis atq; expolis: initium facere, atque illud: manum de tabula, in memoriam tibi reuocare volui.

IIII. *Scripſi igitur aliquot orationes cõtrarias, inq; iis quæ plærique laudant omnes improbaui.*

V. *Arbitror fore, vt, eas vbi legeris, inſtitutum hoc meum mirere.*

VI. *Sed noſti morẽ ac cõſuetudinẽ ſcholarũ rhetoricarũ, in quibus exercitationis gratia pro falſis & iniuſtis aliquando dicere minimè inutile iudicatur.*

VII. *Neq; Carneadem, niſi ab vnico reprehenſum Catone exiſtimo: cum iiſdem viribus iuſtitiam, & oppugnauit, & defendit.*

VIII. *Poſthac autem plura à me accipies: modò per temporis iniquitatem, aut occupationes, facere id mihi licuerit.*

IX. *Tu operam interim dabis: par pari vt referas inq; debitum (quod aiunt) promiſſum cadere omne ſtatues.*

X. *Profectionem valetudinis cauſa ſuſceptam fœliciter euenire tibi cupio, tuumq; ea in re inſtitutum laudo ac probo. Vale.*

Aque hæc de primo nuncupationum & dedicationum ſint genere dicta. Reliquum eſt, de altero vt agatur: quod & certæ cuiuſdam perſonę προσφώνησιν compellationẽ, & alia continet, quę in eiuſce- *De altero genere dedicationum.*

Sententiæ quæ in librorum principiis apud Ciceronem reperiuntur.

modi dedicationibus obſeruanda ſunt. Suppeditant verò generis huius exẽpla egregia προθέσεις principia atque veſtibula librorum ad amicos à Cicerone miſſorum: quæ ſunt aut αἰτιολογικά, & cauſas continent, vel προσφωνήσεως dedicationis atq; compellationis eorum, ſub quorum nomine in lucem ſcripta prodeunt. 1. de oratore. 3. de finibus. 1. offic. de ſenectute, in paradóxis: vel ſuſcepti in manus operis, easq; petitas: à voluntate & petitioné eius cui illud inſcribimus, libro 1. ad Herennium: 1. de oratore: in oratore perfecto: Topicis: à materia & argumenti vtilitate. libro 1. ad Heren. 1. de inuentione. 1. de oratore: in oratore perfecto: in topicis. 3. & 5. Tuſcul. 1. de natura. 1. de diuinatione. ab eiuſdem difficultate. 1. de oratore: in oratore perfecto. 1. de natura: de fato: à perſona autoris. 1. Acad. quæſtion. 1. 2. 5. Tuſcul. 1. de diuinatione. 3. officiorum. ab exemplis aliorum. 2. de inuentione. 1. Acad. quæſt. 4. Tuſcul. 1. de Diuinatione.

2. Genus ἀπολογητικὸν καὶ ἀνασκευαστικόν.

Aut ἀπολογητικὰ καὶ ἀνασκευαστικὰ, defenſionem habent, & refutationem eorum, quæ obiici atque reprehendi poſſe videntur. libro. 4. ad Herennium: libro 2. Academic. quæſtion. libro. 1. & 4.

1.& 4. de finibus: libro. 1. de Natura deorum: libro 2. Officiorum. Aut μεταβατικὰ, quæ conſtant tractatorum ἀνακεφαλαιώσει renouatione, & καταστάσει propoſitione eorum quæ tractanda reſtant. libro 3. ad Herennium: libro. 1. & 2. de Inuentione: libro 1. de Oratore: libro 2. de Diuinatione: libro 2. Officiorum. Aut διατυπωτικὰ, futuræ tractationis rationem & methodum indicantia. libro 1. de Oratore: libro 2. & 3. de Finibus: libro 1. & 2. de Natura deorum: de Fato: libro 1. Officiorum: de Senectute: de Amicitia. Aut περιστατικὰ, perſonarum, loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum notatione facta: libro 1. & 2. Academicarum quæſtionum: libro 5. de Finibus: libro 1. de Natura deorũ: de Fato: in Somnio Scipionis: libro 1. & 2. de Legibus: de Amicitia. Aut προτρεπτικὰ ad lectionẽ aſsiduã incitantia: libro 1. & 3. ad Herẽnium: libro 1. & 3. Officiorum. Sed & ἠθικαὶ moratæ atq; conciliantes in his ipſis ſunt ſentẽtiæ conſiderãdæ, operaq; danda: ne aut πλεονεξίας auaritiæ: aut κολακείας, adulationis: aut φιλαυτίας amoris nimij aliqua in dedicationibus ſuſpicio oriatur. Fit aũt illud ſi in προσφωνήσει, præter eius, qui appellatur, virtutes,

3. Genus μεταβατικόν.

4. Genus διατυπωτικόν.

5. Genus περιστατικόν.

6. προτρεπτικόν.

ἠθικαὶ morata & conciliantes ſententiæ in dedicationibus obſeruandæ.

merita, poſtulata nobis propoſitum nihil fuiſſe oſtendatur. Addatur deinde: in os laudare amicum nos nolle: quod ita animatum eum eſſe ſciamus: vt, quod ille ait, onus illi ſit graue, nimium laudari. Tum vitandæ arrogantiæ & φιλαυτίας gratia ἐλαττώσεις καὶ ὑποκορισμοί imminutiones adhibeantur: labor concedatur & ſtudiũ, & voluntas bene de aliis merendi: ſed interim facultas negetur: vſurpetur id ꝙ de Deiotarana Cicero ſcribit, cauſam eſſe, vel materiam tenuem, inopem, nec ſcriptione magnopere dignam: munuſculũ leuidenſe, &c. promittatur, nos, ſi quid temerè prætermiſſum, aut non ſatis eleganter expreſſum fuerit, ab aliis melius edoctos: libenter ſententiã noſtram mutaturos. proferatur & illud, quod in perfecto oratore Cicero vſurpat: aggreſſos nos eſſe aliquid, non tam perficiũdi ſpe: quàm experiuhdi voluntate: malle nos cum ſtudio obſequamur amicorum, deſiderari à nobis prudentiam noſtrã, quàm ſi id non fecerimus, beneuolentiam. Ad motum verò quod attinet, in illud incumbendum eſt, vt in nuncupationibus, excitetur primum χαρὰ, gaudium, lætitia, & ἡδονὴ voluptas: oblato munere amicus de-

Sententiæ παθητικαὶ mouentes.

ſus delectetur. Deinde ἐλπὶς ſpes ac confidentia: vt idem opus illud vtile: προσφώνησιν verò compellationem honorificam ſibi fore confidat. Poſtremò φιλία amor, vt cum eiuſdem cauſas intelligat impellentes: à nobis quoque laudari ſeſe cognoſcat, amore nos ac beneuolentia complectatur. Nos exercitationis gratia προσφώνησιν appellationē Herennij, quæ primo eſt libro Rhetoric. imitari conabimur. Etſi enim breuis ſit illa: tamen elegans atque erudita imitationeque digna eſt. Partibus illa tribus abſoluitur: quarum prima αἰτιολογικὴ eſt: in qua cauſas author, tùm κωλυτικὰς ſcriptionem impedientes, tùm προτρεπτικὰς ad eandem impellentes, indicat. Altera σύστασιν commendationem operis cōtinet: comparatione Græcorum, ſed modeſtè inſtitutam. Poſtrema προτροπῇ adhortatione, ad ἄοκνον exercitationem diligentem conſtat. Has ergo ſecuti partes morum atq; vitæ præcepta amico inſcribemus, hoc modo. *Imitationis exemplum.*

I. *Etſi publicis negotiis diſtrictus vix ſatis otij ad meas curandas res habeam: & id ipſum, quod conceditur otij, in oratoriis conſumere ſtudiis malim: tui tamen parentis, viri clariſſimi, & de me req; publica tota optimè meriti voluntas me impulit: vt de*

morum vitæq; doctrina quædam conſcriberem: ne aut declinaſſe laborem: aut parenti gratificari tuo: tibi commodare noluiſſe viderer.

II. *Id quoq; eò feci, & libentius, & ſtudioſius: quod non ſine cauſa parentem tuum, hæc quoq; te cognoſcere velle intelligebam.*

III. *Neq; enim parum vtilitatis hæc adferre doctrina ſolet: cum & de hominis hac in vita felicitate agat: & quonam pacto animi ſint cohibendæ perturbationes oſtendat: & virtutum atq; vitiorum vim ac naturam explicet: & deniq; conſtanter honeſteq; viuendi rationem præſcribat.*

IIII. *Itaq; ſit aliarum artium cognitio vtilis: ſit iucunda & ſuauis: ſit laudabilis atque honorifica: huius profectò ita eſt neceſſaria: vt carere ea nemo poßit: modò moderatio in illa aliqua adhibeatur.*

V. *Quamobrem ea, quæ aut noſtris temporibus non ſunt accommodata: aut allata à philoſophis diſputandi gratia, reliqui: perſecutus autem ſum illa, quæ honeſtè, & ſecundùm virtutem viuendi rationi ſunt apta atq; idonea.*

VI. *Non enim, vel lucelli alicuius ſpe illectus, vel gloriolæ adductus cupiditate ad ſcribendum acceßi: ſed induſtria quantulacunque mea, & parentis tui morem voluntati gerere: & tua promouere ſtudia volui.*

VII. *Boni ergo labores hoſce meos conſules: ſimul etiam illud cogitabis: cum in virtutis non cognitio-*

gnitione, ſed actione laus ſit omnis poſita, quæ hîc traduntur, non animo modo excipienda & cognoſcenda, verum etiam vita atque moribus exprimenda eſſe.

Ad hunc igitur modum nuncupationes atq; dedicationes inſtitui poterunt. Quod ſi verò ad illas reſpondere alicui placuerit: ſententiæ primum adferendæ erunt ἐπαινετικαὶ laudantes & commendantes opus inſtitutum: ab argumenti dignitate, vtilitate, neceſsitate: methodi facilitate ac perſpicuitate: orationis genere puro, latino, eleganti. Deinde εὐχαριστικαὶ gratiarum actionem continétes. Gratias enim agemus amico, q̀ ſua nobis aut mittere, aut inſcribere opera voluerit: & oſtendemus pertinere hoc plurimum ad noſtrum honorem: teſtatum etiam facere amórem ſingularem, quo ille nos complectatur: grati quoque animi memoriam perpetuam pollicebimur. Poſtremò ἀξιωματικαὶ petitoriæ. Rogabimus enim amicum: vt & huius generis alia in lucem deinceps emittere, atq; ita cùm bonorum adoleſcentum ſtudiis, tùm ſuæ famæ atque exiſtimationi conſulere velit. Tractatio verò & collocatio harum ſententiarum ita eſt inſtituenda:

De ratione reſpondendi alterum dedicat.

Sententiæ in reſponſionibus dedicat. obſeruandæ.

Collocatio ſententiarũ.

vt primum habeat locum, ἀφήγησις narratio in qua exponamus: accepiſſe nos & legiſſe ea, quę ad nos amicus miſerit. Hāc deinde ſequatur propoſitio ἐγκωμιαστικὴ καὶ ἐπαινετικὴ, laudatoria. Eandem tertio excipiat confirmatio, quæ inſtitutę laudationis rationes cōtineat. Poſtrema pars con cluſio gratiarum actione & petitione abſoluatur. Hanc ergo methodum ſecuti, epiſtolæ reſpōdebimus paulò ante in primo dedicationum genere exercitij cauſa propoſitæ, hoc modo.

Imitationis in reſpōdendo exemplū.

I. *Accepi literas tuas, vnà cum orationibus ad me miſſis, quarū ego lectione mirificè ſum delectatus, tuamq; illam admirabilem, cùm ingenij vim, tùm dicendi copiam in iis deprehendi.*

II. *Quid quæris? eruditæ, artificioſæ, verè Ciceronianæ ſunt.*

III. *Neq; enim in iis verborum tantum, aut ornamentorum Ciceronianorum eſt imitatio: ſed & ſententiarum, & ſtructuræ, & aliorum eſt expreſſio, quæ à prudenti literatoq; obſeruari imitatore, & ſolent, & debent.*

IIII, *Itaq;, vt maximè eas laudo proboq;: ita q̄ mittere mihi volueris tibi gratias, quas poſſum ago maximas: relaturus cum primum aliqua ſeſe obtulerit occaſio.*

V. *Quod enim mirari me arbitraris, cur in con-*

trariis te orationibus exerceas, liberare omni te ſolicitudine volo.

VI. *Nota mihi veterum hac in re eſt conſuetudo: quid Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, aliiq́; dicendi magiſtri hoc de exercitationis genere ſcribant, ſcio: perſpecta eiuſdem inſignis mihi vtilitas eſt.*

VII. *A me autem quod exigis: pari par vt referam: plus amori in me tuo, quàm vero iudicio tribuis.*

VIII. *Veruntamen, quia omnino à me hoc poſtulas, tentabo ſanè aliquid: ſed* χρύσεα χαλκείων: *& Diomedis & Glauci permutatio erit.*

IX. *Sed & hunc ipſum, vti ſpero, æqui boniq́; conatum conſules: ſimul etiam pluribus in lucem ſcriptis tuis emittendis: & benè de bonorum adoleſcentum ſtudiis mereri: & ſurgenti tuæ conſulere gloriæ conaberis. Vale.*

DE LAVDATORIIS EPISTOLIS.

LAudatoriæ epiſtolæ, à Græcis ἐπαινετικοὶ appellatæ, ſunt quæ, vel perſonarum, vel factorum, vel rerum laudem, atque commendationem continent: & vtiliter, ſępè etiam neceſſariò adhibentur. Nam & ad virtutes atque actiones præclaras illæ alios inflãmant, cùm, vt quiſq; *Vtilitas laudatoriarum epiſtolarum.*

erecto eſt excelſoque præditus ingenio, ita laude maximè ducitur: & ſunt hæ veluti præmia, quæ virtuti debentur: & ad hominum colligendam gratiam atque beneuolentiam plurimùm conducunt: & ad adhortationes inſtituendas non parum proſunt: cum qui apertè moneri nolunt, obliquè & laude quadam ad excolendas virtutes ſunt extimulandi: & neceſſariò interdum in perſona, vel noſtra, vel amici, tum commendanda, tum excuſanda requiruntur: & ſæpe à parentibus, præceptoribus, amicis flagitatur eorum, qui peregrinantur: & hominũ obſeruare mores: Rerũpub. leges atq; inſtituta notare: non ædificia ſolum, aut ſitum videre locorum, deq; iis domum ad ſuos perſcribere debent. Sumuntur autẽ ſententiæ in laudatoriis epiſt. vel à cauſis: hoc eſt, virtutibus, quæ & per ſe ſunt laudabiles, & laudabiles atq; gratioſos reddunt eos, in quibus deprehenduntur: vel effectis, actionibus ſcilicet, cum honeſtate, vtilitate, iucũditate coniunctis: vel adiunctis, & circumſtantiis perſonarum, temporis, loci, modi: vel cõparatis, & exemplis noſtris aut aliorum: vel teſtimoniis, iudicio, ſermone, & approbatione omnium,

Sententiæ laudationũ probantes.

nium, aut ſaltem bonorum virorum. Ad πάθη verò animorũ motus q; attinet, quoniam laudationis finis præcipuus voluptas eſt & delectatio: motus quoq; hîc adhibendi erunt, non vehemẽtes ſed lenes, & voluptati atq; delectationi accommodati; cuiuſmodi ſunt χαρὰ gaudium, & lętitia: ἡδονὴ voluptas: χάρις gratia: ζῆλος æmulatio: ἐλπὶς ſpes: vt ampliſsimis præmiis propoſitis ſtrenuè atq; conſtanter amicus pergat. Sed neq; moratæ hîc ſunt atq; conciliantes ſententiæ negligendæ: verùm opera primùm danda, vt viri eſſe boni videamur, & quę in aliis laudamus, in nobis quoq; eſſe oſtendamus. Deinde laudationis ſunt cauſæ falſæ parumque honeſtæ remouendæ: cuiuſmodi ſunt: adulatio, gratiæ captatio, ſpes lucri & commodi. Tum & amplificationes vitandæ nimiæ atque hyperbolicę: ac veritati, modeſtiæ, grauitati ſtudendum. Sunt autem, quo ad ſententiarum harum tractationem atque collocationem, tres potiſsimùm laudatoriarum epiſtolarum partes: quarũ prima Exordium conſtat: vel ἀφηγήσει narratione, quæ ſcriptionis ac laudationis inſtitutæ ἀφορμὴν occaſionem cõtinet, lib. 9. epiſt. 6. lib. 12. epiſt. 16.

παθητικαὶ motiones ſententiæ.

ἠθικαὶ moratæ & conciliantes ſententiæ.

Collocatio ſententiarum in epiſtolis laudatoriis.

Exordia laudationum. Vel ἀποδοχῇ laude & approbatione facti alicuius. lib. 7. epiſt. 28. lib. 9. epiſt. 14. lib. 10. epiſt. 10. & 14. Vel συγχαριστίᾳ καὶ εὐχαριστίᾳ gratulatione ſimul & gratiarum actione. *Confirmationes laudationum.* lib. 16. epiſt. 17. Pars altera Cõfirmatio eſt, quæ laudationum rationes complectitur, ſumptas: aut à Cauſis, virtutibus ſcilicet. lib. 12. epiſt. 16. Aut Effectis, actionibus cum honeſtate coniũctis. lib. 9. epiſt. 14. vtilitate. lib. 9. epiſt. 6. 14. lib. 10. epiſt. 10. 14. voluptate. lib. 19. epiſt. 6. Aut adiunctis & circumſtantiis cauſarum. lib. 7. epiſt. 28. lib. 9. epiſt. 14. Perſonarum. lib. 16. epiſt. 16. Loci. lib. 7. epiſt. 28. Modi. lib. 10. epiſt. 14. Aut Comparatis & exemplis. lib. 7. epiſt. 28. Aut teſtimonio & iudicio *Conclusiones laudationũ.* bonorũ virorum. lib. 9. epiſt. 14. Pars tertia & poſtrema Concluſio abſoluitur: vel gratulatione. lib. 12. epiſt. 16. Vel ἐπαναλήψει καὶ ἀνακαινώσει repetitione ac renouatione laudationis & comprobationis, lib. 7. epiſt. 28. Vel προτροπῇ adhortatione: vt pergat amicus, & quam collectam habet laudem, retineat, atque amplificet: lib. 9. epiſt. 14. lib. 10. epiſt. 10. 14. Vel εὐχαριστίᾳ gratiarum actione. lib. 16. epiſt. 16. Vel ὑποσχέσει delatione ſtudij atque officij. lib. 10. epiſt. 10. Vel prætiſione, ἀποσιωπήσει & excuſa-

tione

tione prolixitatis in ſcribendo. lib. 9. epiſt.6.14.Sunt autem res & materiæ, quæ in laudatoriis reperiuntur epiſtolis variæ.Laudationes liberorum.lib.12. epiſt. 16.Libertorum.lib.3.epiſt. 1. Inſtituti & conſilij.lib.7.epiſt.28.lib.9.epiſt.6.Voluntatis præclaræ ac ſtudij iuuandæ & defendendę Reipublicæ.lib.10.epiſt.10. Rei pręclarè fortiterque contra hoſtes geſtæ. lib.10. epiſt.14. Animaduerſionis ac pœnæ.lib.9.epiſt.14.Manumiſsionis.lib.16. epiſt.16. Plures etiã cum aliis mixtæ materiis, nimirum commendationibus, gratulationibus, gratiarum actionibus, adhortationibus inueniuntur. Qui enim cõmendare & promouere alios cupiunt, eoſdem laudare neceſſe habent:& gratulationes atque gratiarum actiones, non niſi ob res laude dignas inſtituuntur: laudationibus denique, vti paulò antè oſtendimus, ad virtutes capeſſendas, & liberalia erectaque ingenia excitantur: & mouentur, quæ directè atque apertè moneri ſeſe grauiter moleſteque ferunt. Nos exercitij gratia 14. lib.10. imitabimur, in qua Planci contra hoſtes præclarè feliciterque res geſtas Cicero laudat. Partes illius tres ſunt. Principium ἀποδοχῆ

Materiæ laudationũ variæ.

Imitatio laudatoriæ epiſtolæ.

approbatione & laudatione conſtans fa-
cti Planci. Confirmatio laudationis ra-
tiones continens : à modo agendi,& ef-
fectis præclaris deſumptas. Concluſio
πρὸς τὸ πρᾶγμα adhortatione facta, eademq́;, ar-
gumento ſumpto à commodis,cùm pu-
blicis, tùm priuatis,munita. Sententiæ
eſſe tales poterunt.

I. *O lætum nuncium, & cui meritò δ᾽ἀγγέλια debentur : de ſingulari tuo in communem patriam Germaniam,amore ac ſtudio:de celeritate incredibili conſcribendi exercitum, preſſisq́; ſuccurrendi: de virtute militum egregia: de victoria nobili atq́; præclara reportata.*

II. *Cæſi enim hoſtili in exercitu militum plurimi : duces ex prælio fugiſſe : deſiderari ex noſtris pauciſſimi dicuntur.*

III. *Itaque & ſummis in cœlum vſq; te exercitumq́; tuum laudibus euehunt omnes, & fauſtis ominibus proſequuntur.*

IIII. *Sed interim eam in curā omni tibi incumbendum eſſe ſtudio cogitabis: vt quæ inchoata ſunt fœliciter, ad finem vſque perducantur: & depulſis iam primis,etiam extrema deleantur:atq; ita ſacrilegiis templa: oppida direptionibus: vaſtationibus agri:cæde corpora:tecta incendiis: rapinis fortunæ liberentur.*

V. *Equidem tuas nunc literas expecto quotidie, idq́;*

idq́; cum multis aliis, quibus communis patriæ ſalus cordi eſt.

VI. *Spero etiam plures, periculi imminentis magnitudine motos, tecum contra communes hoſtes arma ſumpturos.*

VII. *Da igitur operam, enitere, perfice deniq́; vt finis bello imponatur, neq; illius ſcintillulæ vllæ relinquantur, quæ non benè reſtinctæ, nouum aliquod & æquè perniciosum, aut etiam pernicioſius incendium ſuſcitent.*

VIII. *Quod ſi, vti ego confido, mecum plurimi alij ſperant viri boni, feceris: & præclarè de noſtra* Repub. *atq; adeò* Germania *tota mereberis, & nomen tuũ ab obliuione atq; interitu vindicatũ magna cum laude atque gloria ad poſteritatem vſque tranſmittes. Vale.*

Atque hæc apud Ciceronem familiaribus in Epiſtolis laudationum exempla reperiuntur. Verùm vt eloquẽtiæ ſtudioſis hoc in genere literarum exercere ſeſe volentibus conſulamus: ſeorſim, ſed nudè atque breuiter aliquot laudationum exempla proponemus. Et quia, quæ laudantur, potiſsimùm ſunt aut res, tùm νοητὰ animo atque mente comprehenſę, tùm αἰσθητὰ ſubiectæ ſenſibus: aut perſonæ: aut rationis expertia animalia: aut πράξεις actiones: aut χρεῖαι καὶ γνῶμαι, dictæ

τῶν ἐπαινετῶν laudabilium genera.

τῶν αἰσθητῶν rerum ſenſibus ſubiectarum laudationes.

Vrbis aut regionis alicuius laus & commendatio.

& ſententiæ præclaræ: à rerum initium commendatione faciemus: & quidem αἰσθητῶν: cuiuſmodi ſunt: vrbes, arces, domus, horti, villæ, regiones: propterea ꝙ horum præ cæteris, magnus in ſcribendo vſus eſſe ſolet. Commendaturus ergo per literas vrbem, aut regionẽ aliquam, argumenta ſumet ex cauſis, quæ eius conditorem, inhabitatores quoque primos atque antiquiſsimos oſtendunt. Deinde ex notatione appellationes, partim veteres, partim recentes petet. Tum ex adiũctis, conſideratis diligenter ſingulis attributis, ſeu circumſtantiis, cuiuſmodi ſoli ſit qualitas, quis ſitus, quæ flumina vicina, quæ Reipubl. forma, quę in Eccleſia religio, quæ in ſcholis artium cultura, quæ in Senatu leges atque inſtituta, quæ inter ciues vitæ atque morum conditio, planum faciet. Poſtremò ex effectibus res geſtas & pręclara facinora commemorabit: proferet viros inſignes, qui in ea floruerint, aut adhuc floreant: commemorabit illa quæ importari & exportari ſolent. Magnum etiam hîc pondus comparationes habent: ſi ſcilicet cum alia aliqua vrbe, aut regione clara, nobili, illuſtri ea conferatur: & ſimilitudo aut diſsimilitudo

militudo commonſtretur. Ad tractationem deinde quod attinet, inſtitui illa ita poterit: vt Exordium ſit ἀπολογικὸν, ſcriptionis inſtitutæ cauſas contineat, vel à noſtra pollicitatione, vel petitione amici eiuſdemque cura atque ſolicitudine deſumpta. Sequatur illud πρότασις propoſitio ἐπαινετικὴ καὶ συστατικὴ, laude & commendatione facta. Hanc excipiant tertiò rationes & argumenta ex adiunctis, cauſis, effectibus petita. Concluſio abſoluatur ἐπαναλήψει repetitione ac renouatione cauſarum inſtitutæ ſcriptionis: & ἀξιώσει petitione, vt hæc paucula quæ à nobis ſunt ſcripta æqui bonique conſulere amicus dignetur. Nos exercitij gratia breuem atque nudam Argentinæ laudationem inſtituemus: in qua ſententiæ eſſe tales poterunt. *Argentinæ laus & commendatio.*

I. *Cum primum ſcribendi ad te mihi data fuit occaſio: & tuæ ſolicitudinis, & meæ pollicitationis memor, negligere eam nolui.*

II. *Veni autem Argentinam, aliquot ante hebdomadas, itinere non vſque adeò commodo, cùm propter pluuias continuas, tùm latronum metum: addo etiam diuerſoria, in quibus ſi à moroſitate quis atq; auaritia receſſerit, quæ commendet, pauca reperit.*

III. *Sed omnem mihi moleſtiam vrbis ipſius aſpectus abſterſit: quæ in Alſatia loco ſita plano omnibus iis à rebus præclarè inſtructa parataq; videtur, quibus benè conſtitutæ florentisq; alicuius Reipublicæ æſtimari felicitas ſolet.*

IIII. *Ad eius originem atq; primordia q. attinet: vnà cum Treueri, aut non multò pòſt ædificari illam cœptam fuiſſe audio, quam quidem vetuſtiſsimam Germaniæ ciuitatem Hiſtorici eſſe volunt: indicat elogium circa annũ Domini* M. CC. *in marmore repertum:*

Ante Romã Treueris ſtetit annis mille trecẽtis.

V. *Nomen verò illi Argentinæ Iulij & Auguſti Cæſarum tempore impoſitum creditur, ab argento ſcilicet, quod ad belli vſus neceſſarios, & ſtipendiorum ſolutionem hoc aſſeruatum in loco fuit.*

VI. *Quod tamen mutatum fuiſſe poſtea legitur, cùm Hunnorum tyrãnus Attila hanc cùm aliis Rhenum tangentibus, vrbem deſtruxit, & peruiam reddidit: vt Strasburgum pòſt, quaſi viæ appellata arx fuerit.*

VII. *Licet ſint, qui ab Othone primo Imperatore, auxilium Gallorum Regi Ludouico ferente, vrbemq; occupante, hoc illi inditum fuiſſe nomen contendant, cum antè Silberthal nominaretur.*

VIII. *Solum circa vrbem bonum cumprimis ac fertile eſt, tantaq; fruges & fructus vbertate atq; copia profert: vt etiam ſine ciuium aliquo detrimento ad alios*

ad alios exportari: & meritò vrbs hæc vicinorum cella penaria atq; horreum appellari queat.

IX. Flumina habet Rhenum, Kinzingam, Elliū, Bruſcham: quæ piſces, ligna, vinū aliaq; neceſſaria ſuppeditant.

X. Nihil ego hic de ædificiis ſcribo priuatis, in quibus parſimoniam & frugalitatem, non tamen mundiciæ atq; elegantia carentem ciues adhibent: mitto armamentarium, omni armorū genere refertiſſimum: ſilentio muros, foſſas, vallum, alia prætereo, quibus ita vrbs hæc eſt munita, vt non malè Germaniæ hac in parte propugnaculum & quaſi clauis nominari poſſe videatur.

XI. Vel templum illud magnificum: inq; eo horologium arte mira paucos ante annos confectum: & turris, caput inter nubila condens: annulariis ſcalis, vndiq; viſui peruiis, Deum immortalem, quàm hominum in ſeſe oculos conuertunt?

XII. Verùm hæc cuiuis, etiam imperito, obuia dices. Itaq; ne vrbem modò vidiſſe: verùm Homericum ſecutus præceptum, & νόον inſpexiſſe videar, ad alia accedam.

XIII. Vectigalem hanc primò aliis, pòſt verò propter ſingularem fidem atque fortitudinem libertate & αὐτονομίᾳ donatam fuiſſe audio: qua & nunc ſumma illa cum laude vtitur: dum ad publica capeſſenda munera gerendosq; magiſtratus eos deligit, qui pietate, virtute, prudentia, experientia

antecellere aliis videntur: & legibus atque ſtatutis munita eſt longè pulcherrimis: & ordine cuncta optimo inſtituit atq; peragit.

XIIII. *Vt multis in rebus, cùm ab aliarum laudatiſsimarum* Rerumpubl. *tùm verò* Athenienſis *atque* Romanæ *quàm proximè abeſſe exemplo videatur.*

XV. *Quæ ego perſequerer copioſius, niſi metuerem, ne in volumen epiſtola excurreret: & ad alia, non minus* ἀξιομνημόνευτα *properarem.*

XVI. *Eſt, quod ſummum* Reipub. *beneficium atque ornamentum, numinis diuini hac in vrbe cultus verus* Deiq; *verbo conueniens, ab erroribus atq; ſuperſtitionibus omnibus repurgatus.*

XVII. *Eſt* Academia, *in qua, præter curias decem, in quibus cum pietate, linguæ atque artes logicæ traduntur,* Oratores, Poetæ, Hiſtorici *explicantur, ſtyli habentur exercitationes aſsiduæ: ſæpe græcæ & latinæ aguntur* Comœdiæ *ac* Tragœdiæ: *etiam publicæ ſunt Scholæ:* Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ, Philoſophiæ, *artium atque linguarum profeſſores: qui non ſolùm ex ipſis fontibus, perſpicua faciliq; methodo res tradunt pulcherrimas & vtiliſsimas: verùm etiam quo illæ pacto ad vſum ſint transferendæ commonſtrant: diſputationes atque declamationes crebras inſtituunt.*

XVIII. *Eſt prona* Magiſtratus *miſericordia atque*

atq; benignitas: qua tenuioris conditionis ciues ſuſtentãtur: fouentur peregrini: ægroti curantur: omnium, quoad fieri poteſt, egeſtati, inopiæ, miſeriis ſuccurritur.

XIX. *Eſt* Xenodochium *& hoſpitium publicum, in quo peregrini pauperes excipiuntur: eſt* Orphanotrophium, *in quo infantes expoſiti educantur: eſt* Noſocomium, *in quo vndique confluentes ægroti curantur: ſunt ad* D. Vuilhelmum *&* Marcum *collegia, in quibus egeni ſtudioſi aluntur: ſunt loca multa alia, in quibus diligens vereq; paterna miſerorum cura geritur.*

XX. *Vtinam verò tam eſſes ab occupationibus liber ac ſolutus, vt excurrere ad nos, & hæc omnia multoq; plura, quæ breuitatis nunc cauſa latere patior, coràm intueri poſſes: non te, crede mihi, itineris ſuſcepti pœniteret.*

XXI. *Sed ad priuata iam venio.*

XXII. *Hoſpitium nactus ſum ſatis ad ſtudia commodum: humanitatem atq; beneuolentiam ciuium ſingularem experior: largè omnia mihi pollicentur ij, quibus commendatus à te fui.*

XXIII. *Præceptorum fide ac diligentia eximia erudior: ſtudia ita inſtituo, vt nullum effluere diem patiar, in quo non præter lectiones, quas (quod citra arrogantiam ſcripſerim) aßiduò conſtanterq; audio, aut legam aliquid, aut ſcribam, aut commenter.*

XXIIII. *Reliqua etiam ad voluntatem fluunt omnia: vt gratias tibi agam, qui me domi ad focum deliteſcentem aliquando extruſeris.*

XXV. *Ad te autem ſcribere hæc nunc volui: tū vt ſolicitudine ea, qua mei te cauſa vrgeri noui, te liberarem: tum vt voluntati tuæ ſatisfacerem: qui diſcedenti mihi hæc inter alia ſeriò iniunxiſti: vt & de profectione, & vitæ ſtudiorumq; ratione mea tota primo te tempore certiorem facerem.*

XXVI. *Præceptores & patronos meos omnes, ſi modò quid iubere poſſum, ſaluere iubeo. Vale.*

τῶν νοητῶν *laudationes.* Ad νοητὰ verò animo menteq; compre-henſa quod attinet: laudaturus per literas artes, virtutes, magiſtratum, & id genus alia: argumenta ex cauſis, effectis, adiunctis, contrariis promet, & laude atq; celebratione digna ea eſſe oſtendet: quia honeſta: quia vtilia, ac eiuſcemodi, vt carere illis, aut non omnino, aut ægrè admodum genus humanum poſsit: quia magna cum voluptate atq; delectatione coniuncta: quia medioeri adhibito ſtudio comparari queant: aut ſi difficilia, vel hoc maximè nomine & laudanda, & excolenda, quòd, vt græcorum habet prouerbium, δύσκολα τὰ καλά, quæ pulchra & difficilia eſſe ſoleant. Tractatio ita inſtituitur: vt Exordium ſcribēdi occaſiones

atq;

atq; cauſas contineat: Propoſitio ἐπίδειξιν laudationem habeat: Confirmatio eiuſdem rationes & argumenta cōplectatur: Concluſio breui pręcipuorum repetitione, atq; προτροπῇ adhortatione abſoluatur. Nos exercitij gratia coniugij in manus laudationem ſumemus. *Cōiugij laus & commendatio.*

I. *Audio ita ſtudiis te incumbere munerię; impoſito vacare, vt de contrahendo matrimonio curam atq; cogitationem nullam ſuſcipias: imò odio quoq; eos proſequaris, qui de ducenda vxore nonnunquam te compellant.*

II. *Quod mirari profectò ſatis nequeo.*

III. *Illa fortè tibi placēt:* ἄλυπον ἕξεις τὸν βίον χωρὶς γάμου: *&* ῥᾷον βίον ζῇς, ἂν γυναῖκα μὴ τρέφῃς.

IIII. *At ſunt alia, & quidem benè multa, quæ in contrariam te ſententiam pertrahere, atque eò impellere debent: vt matrimonio nihil honeſtius: vtilius nihil: nihil iucundius: cùm omnibus aliis hominibus, tum verò literatis nihil neceſſarium magis ſtatuas.*

V. *Nolo recenſere nunc ea, quæ tibi, vt homini, non ſolùm docto, verùm etiám pio, iam antè ſunt nota: matrimonij, non virum aliquem inſignem, ſed Deum ipſum authorem eſſe: idem ſumma adhuc in naturæ moderatione homini commendare: ſanctiſſimæ parentum neceßitudini anteponi velle.*

VI. *Non profero, quæ de Romanis ſunt & La-*

cedæmoniis hiſtoriarum monumentis tradita: illos ærarios feciſſe eos, qui ad ſenectutem vſque cœlibes manſiſſent: hos à συσσιτίοις eoſdem & ludis atq; ſpectaculis arcuiſſe.

VII. *Scis non ad ſolitudinem, ſed ſocietatem, cuius pars prima coniugium, natum hominem eſſe: eſſe iuſti, non de ſe ſolùm, verùm etiam aliis, atq; adeò* Republ. *tota cogitare.*

VIII. *Illud legiſti, quod* Plato *quodam in loco ſcribit: operam dandam hominibus eſſe: vt ſuum in locum liberos ſubſtituant, qui iuxta leges* Deum *colant: & vitam, veluti lampadem, poſteris tradant.*

IX. *Ad ſtudia verò capeſſenda, & diligenter fideliterq; officij obeundas partes, ecquid vel vtilius, vel neceſſarium magis vxore eſſe poteſt?*

X. *Opus hîc eſt otio: diligentia requiritur: animus ſolutus à curis, liber, tranquillus poſtulatur.* Preſtò *vxor eſt ſedula, quæ dum, vel cum libris negotia habet, vel ſuo in eccleſia, ſchola aliisq; locis munere fungitur maritus, domi interim rei familiaris in ſeſe curam deriuat: & ne quam illa iacturam faciat, diligenter prouidet.*

XI. *Infirma plerunq; atq; ægra ſunt valetudine literati: commoda victus egent ratione.* Mirũ *quanta hîc vxorum diligentia. Lectulis quaſi affixæ mãdata expectant: oculorum nutus obſeruant: ad digituli q; aiunt, crepitũ iuſſa capeſſunt: melius quæ nobis obſint, aut proſint ſæpius quàm ipſi* Medici *norunt.*

XII.

XII. *Cum non rarò ancillæ aut famuli, dum doloribus ægri excruciantur: aut vtramq; ſuauiter in aurem dormiant: aut lagenas exiccent: aut etiam ciſtas & armaria expilent.*

XIII. *De iucunditate porrò ſcribere ſi vellem, Deum immortalem, quam latus hîc ſeſe mihi campus offerret? Quæris quo cum liberè colloquaris: cuius in ſinum curas cogitationesq; tuas effundas? vxor adeſt. Quæris, qui laboribus fractum te & attritum reficiat? vxor adeſt. Quæris qui tuis rebus æquè atq; ipſe, aut doleat aduerſis, aut lætetur ſecundis? vxor adeſt.*

XIIII. *Quid liberi, nulláne in voluptatis ac delectationis reponendi tibi parte videntur?*

XV. *Ah quàm ſuaues illorum ſunt in nos ocelli defixi: quàm mellitum balbutientium nomen parentis: quàm dulcis complexus: quàm grati etiam titubantes greſſus: quàm luſus iucundi?*

XVI. *Vt nihil de eo iam dicam, quod liberos qui habent, non fortunarum modò & facultatum magnis partarum laboribus, verùm etiam nominis atq; famæ hæredes habent.*

XVII. *At improbam ac moroſam Xantippen metuis? precibus tuis Dominum compellabis eum, à quo ſolo pia, prudens, morata benè vxor datur.*

XVIII. *Si ſecus atq; expectaras, res eueniat: in id incumbes, vt vitia in vxore aut tollendo, ipſam, aut tolerando te meliorem reddas: & ſecutus So-*

cratem domi patiĕtiam diſcas, quam foris exerceas.

XIX. *Verum & hæc, & plura alia à cognatis atq; amicis tuis audis quotidie.*

XX. *Quibus obtemperare te, atq; operam dare oportet: vt primo quoque tempore ſponſum te factum audire poßim.*

XXI. *Quod ſi erit ad nuptias, etiam non inuitatus, haud inuitus veniam, & γαμήλια, ſi non alia, ſaltem chartacea mecum adferam. Vale.*

Perſonarum laudationes. Ad perſonas verò laudandas atq; exornandas ſumenda argumēta ex cauſis, effectibus, conſequentibus, adiunctis erūt. Et quidem in cauſis conſideranda virtus ipſa, q̃ & per ſe eſt laudabilis, & laudabiles alios reddit: deinde naturæ bonitas, ingenij præſtantia, educatio parentum, præceptorum inſtitutio. In effectibus ſpectandæ actiones, munera, & officia ipſarū virtutum quę ſententias laudantes egregias ſuppeditant: modò ex doctrina Ethica, propria ſingulis virtutibus officia tribuantur, nec illis vicina nobis vitia imponant. In conſequentibus videnda, quæ ex honeſtis & præclaris actionibus ſequuntur præmia, honores, dignitates, opes, priuilegia, & huius generis alia. In adiunctis ratio habenda, nationis, patriæ, familiæ, pulcritudinis, diuitiarum, &c. &

&c. & vt ad laudem illa aliquid faciant, μετασχηματισμῷ quodam ἠθικῷ reddenda, vſu ſcilicet eorundem moderato ac laudabili monſtrato. Comparatorum etiam locus adhibendus, conferendaque perſona, quæ laudanda cum aliis claris, nobilibus, illuſtribus: ob virtutem & cætera, cùm corporis, tùm fortunæ bona: ita tamen vt omnis adulationis atque aſſentationis ſuſpicio remoueatur, & oſtendatur: nihil nos gratiæ hîc cuiuſquam dare: non auribus aliorum inſeruire: ſed vnicam propoſitam veritatem habere. In tractatione atq; collocatione, prima pars exordium inſtitutæ laudationis occaſionem & cauſas continebit. Altera ſententias & argumenta cóplectetur, quę in perſonarum adhibenda eſſe laudatione modò oſtendimus. Quia etiam nihil omnî ex parte perfectũ: nec tam felix quiſquã, qui nõ aliquando labatur & erret, aut maleuolos atq; calumniatores habeat: excuſanda nonnunquã ac refutanda diligenter, quæ vituperari ab aliis poſſe videntur. Poſtrema pars cócluſio abſoluet: aut συγχαιρεία gratulatione, ſi ad ſuperiorẽ ſcribẽdum: aut παραινέσει adhortatione, ſi cũ paribus, vel etiam inferioribus agẽdum:

aut ἀξιώσει, ſi commendatione noſtra impetrare aliquid aliis volumus: aut deniq; præciſione & reiectione. Nos exercitij gratia exemplum tale proponemus.

Perſonarum laudationis exemplum.

I. Intellexi vehementer te mirari quid ſit, quod cum aduerſas res omnes alias infracto ſemper erectoq; animo tulerim: nunc vnius amici tantopere obitum lugeam, vt conſolationi apud me nullus relictus eſſe locus videatur.

II. Verum mirari, vti mea quidem fert opinio, deſines: vbi doloris huius mei atque luctus cauſas cognoueris.

III. Etenim ſi quiſquam omnium lucis huius dignus vſura longa fuiſſet: hic profectò fuiſſet, quem præpropera atque intempeſtiua morte abreptum, ordo luget equeſtris: ſenatus deplorat: deflent propinqui: mœrent amici ac familiares: ciues omnes lamentis proſequuntur. Neque id ſanè immeritò.

IIII. Vt enim latere illa nunc patiar, quæ ad laudandum materiam quidem amplam atque copioſam ſuppeditant: noſtra verò ab induſtria minimè proficiſcuntur: ſed vel accepta naturæ feruntur, vel tribuuntur fortunæ: ita corporis venuſtatem, quæ in eo fuit eximia, animi pulchritudine & literis ac virtutibus exornauit: vt non æqualibus modò ſuis antecelleret: verum etiam natu grandiores quoſdam longo poſt ſe interuallo relinqueret: fami-

familiam iam ante nobilem ſatis, claram magis illuſtremq́; redderet: vrbē eam in qua lucem hanc primò aſpexerat, beneficiis afficeret ampliſsimis.

V. *Etenim cum loco ſe minimè obſcuro ortum ſciret: & partim ex præceptoribus ſuis audiret: partim ipſe intelligeret: nobilitatem veram, non in parentum maiorumq́; aut imaginibus fumoſis: aut auri argentive acervis: aut armorum atque togæ præclarè fortiterq́; factis, ſed ſua cuiuſque pietate, doctrina, virtute, induſtria conſiſtere: pueritiæ & adoleſcentiæ tempus lubricum admodum ac periculoſum, in virtutis bonarumq́; artium & linguarum ſtudiis; non otio ignauo: non turpibus voluptatibus: non neſcio quibus oblectatiunculis, aliis, conſumpſit.*

VI. *Exteras deinde luſtrare terras: varias variarum nationum diſcere linguas: vrbium non ſitum ſolum videre, ſed & leges, inſtituta, mores cognoſcere voluit. Longè, me Chriſte, aliam viam ſecutus, quam nonnulli ingredi hodie ſolent qui peregrinantur.*

VII. *Non ſanè* μαμμόθρεπτοι *placent: magis placet Medea, quæ apud poëtam, multos, quod domi agerent ætatem, improbatos fuiſſe affirmat.*

VIII. *Sed & Socratis mihi ſententia probatur, qui quærenti cuidam quod ſine fructu vllo longè lateq́; eſſet peregrinatus, mirum hoc eſſe minimè reſpondit, cùm ſecū ipſe, & corpore tantùm, non etiā animo peregrinatus fuerit.*

IX. Itaque vel hoc maximè nomine noſter laudandus amicus fuit, qui in peregrinatione non operam dedit, vt domum aliquando reuerſus veſtes polymitas & verſicolores, curta pallia, mores peregrinos, contemptum & faſtidium rerum patriarum adferret: illuſtriores ciuitates videre: nominis ac celebritatis alicuius viros, & adire, & audire: quæ notatu digna obſeruare inq; ephemerides referre eſt ſolitus.

X. Neq; vt exoptatum ſtudiorum finem conſequeretur ſuæq; prodeſſe patriæ poſſet, vel ſumptibus, vel laboribus & moleſtiis vllis pepercit.

XI. Et quidem quod propoſitum habuerat, egregiè atq; ſubitò eſt adeptus.

XII. Etenim cum poſt longam ac diuturnã peregrinationem domum rediiſſet, & pietate, eruditione, morum ſuauitate ſui in amorem bonos omnes pellexiſſet, non expectato legitimo tempore in ſenatorium eſt ordinem cooptatus.

XIII. Vbi quidem ita ſuam, & ingenij vim atq; præſtantiam, & fidem & prudentiam, & animi magnitudinem, & innocentiam omnibus probauit: vt natu quoq; maiores eum mirarentur, nec inuiti plerią; in rebus ſequerentur: dignum etiam iudicarent, cui grauiſſimis in negotiis deliberationes & legationes committerentur.

XIIII. Neq; in ſuis ille, vel conſiliis, vel actionibus quicquam ad honorem & commodum retulit priua-

priuatum: illud ſpectauit, vt cum religione atque vero Dei veri cultu ſarta, quod aiunt, tectaq; libertas maneret.

XV. *Neq; etiam in maxima rerum agendarum, cum multitudine, tum varietate: autoritate ſumma: laboribus atque moleſtiis prope infinitis, vllum de ſe vnquam, vel ſuperbiæ, vel moroſitatis ſignum dedit.*

XVI. *Sed nimirum ea vitæ humanæ eſt conditio: vt quod rarum, præſtans, eximium, minime ſit diuturnum, leuiq; momento euertatur, quod firmiſſimis nixum radicibus videbatur.*

XVII. *Cum enim egregiam ille patriæ operam nauaret: cum eius indies fama creſceret: cum de literis literatisq; prouehendis præclara atq; vtilia animo agitaret: ecce ardens eum febris inuaſit, quæ primo contempta, ita poſt vires aſſumpſit, vt illi mortẽ attulerit: mihi & aliis dolorẽ pepererit maximum: Reipub. vulnus inflixerit grande atq; altum: & quod multis ſanari annis non poterit.*

XVIII. *Scriberem hac de re plura, niſi temporis partim anguſtia excluderer: partim mœrore atq; luctu impedirer.*

XIX. *Noſti enim animum à curis vacuum: liberum à triſtitia: omnium expertem moleſtiarum ſtylum requirere: præclari nihil effici poſſe: vbi vel animus mœret: vel ægritudine aliqua ſenſus laborant.*

XX. *Valebis igitur: & quos apud vos Poetas habes eximios rogabis: vt ſuis ſcriptis demortui proſequi laudes, eiuſdemq; ab obliuione atq; interitu vindicare memoriam velint.*

Animalium laudationes. In animalibus laudandis duplex obſeruari ratio ſolet. Vel enim ſigillatim illa atque ſeorſim laudantur; vel coniunctim cum aliis materiis tractantur. Cum ſeparatim eorum laus atque commendatio inſtituitur, vt fit, cùm rara ea ſunt & inuſitata, genus indicatur: locus, in quo degunt notatur: partium fit conſignatio: mores deſcribũtur: adhibentur alia, quæ ab Ariſtotele, Plinio atque cæteris naturæ ſpeculatoribus obſeruantur. Quod ſi verò coniunctim cum aliis materiis de animali aliquo in epiſtolâ agendum: ab vtilitate potiſsimum atq; voluptate ſeu delectatione cõmendationes ſumendæ. In pretio enim habere animalia ſolemus: vel quia vſum nobis magnum & propè neceſſarium ſuppeditant: vel quia voluptatem ac delectationem haud exiguam adferunt: propter formam, pulchritudinem, magnitudinem, & quæ huius ſunt generis alia. Nos exercitij gratia dono ab amico miſſum canem laudabimus, hoc modo.

I. Acce-

I. Accepi literas tuas vnà cum dono ad me miſſas: atq; inde voluptatem percepi maximam. *Canis laudatio.*

II. Vidi enim mei te amantiſſimum eſſe, inq; ipſo munere, quo donare me voluiſti, eorum diligentem rationem habuiſſe, quæ præ cæteris grata mihi eſſe & iucunda noſti.

III. Non enim turpe mihi duco in amore atq; delitiis canes habere: aut etiam venationes amare: quarum à natura, cùm omnibus aliis, tùm verò generoſis maximè excelſiſq; præditis ingeniis amor eſt inſitus: quæq; ſiue honeſtas ſpectetur, ſiue vtilitas conſideretur, ſiue voluptas proponatur & delectatio, omnibus aliis anteponendæ exercitationibus videntur.

IIII. Ad donum verò ipſum quod attinet: prolixè illud diligenterq; commendarem: niſi metuerem, ne nimium præſens laudando, nouum aliquod emendicare velle iudicer.

V. Canes vidi multos: multos etiam domi alo: at cum eo, quem tu dono mihi miſiſti, conferri illi comparariq; nullo modo poſſunt.

VI. Etenim non è catellorum melitæorum ille eſt numero, qui non niſi in puluillis & culcitris cuſtodiendis ſunt occupati: aut eorum, in quibus, ſi ab ignaua corporis mole diſceſſeris, quod commendes nihil reperies.

VII. Sed & venuſtam corporis ſpeciem: & ad feras, cùm perſequendas, tùm poſternendas roboris

atque agilitatis plurimum habet.

VIII. *Fide autem ac vigilantia tanta eſt: vt eum æquè libenter atq; hominem mecum in cubiculo eſſe velim.*

IX. *Et pro munere ergo iſto gratias, vti debeo, maximas tibi ago: & quo illud remunerari queam modo, ſedulò diligenterq; cogitabo. Vale.*

Actionum & factorum laudationes. Sequuntur actiones & facta in quibus laudandis ex cauſis, effectis, adiunctis argumenta ducenda. Commendare enim atq; laudare factū aliquod ſolemus: quia honeſtum, & à virtute profectum: quia commoda ex eo multa magnaq; manant atque profluunt, tùm ad priuatos homines, tùm verò totam Rempub. quia difficile deniq; illud atq; arduum, propter attributa varia. Attributa autem & circumſtantias adiunctorum locus ſuppeditat: vtilitatem effecta monſtrant: honeſtū ex cauſa pendet. Sed & contentione atque comparatione cum aliis facta oſtendendum: eſſe id, quod laudatur factum, eiuſcemodi, vt ſi cum aliorum rebus geſtis conferatur, longè eas ſuperet. Tractatio porrò ita plerunq; inſtituitur: vt primum habeat locū exordium, facti ipſius expoſitionem continēs: ſequatur ſecundo propoſitio, quæ eiuſdem laudem atq;

ἀποδοχὴν approbationem cõplectitur: ſubiungatur tertio κατασκευὴ confirmatio iis conſtans argumentis, de quibus modò diximus: concluſio deniq; cohortatione ad conſtantiã abſoluatur. Licet nonnunquam & refutatione hîc ſit opus, cum refellenda ſcilicet ſunt ea, quæ rectè honeſteque facta aut improbari aut extenuari poſſe videntur. Vbi Ariſtotelis vtile præceptum, qui monet: vt in laudatione, quę affirmantur ab aduerſario vitiorum propria ἔργα officia eſſe: nos virtutũ eſſe munera oſtendamus. Nos exercitij gratia adoleſcentem ſtudioſum declamãdo ſeſe exercentem laudabimus hoc modo.

I. *Poſteaquam mihi nunciatũ eſt, te non liberalium ſolum artiũ ſtudiis ſedulò diligenterq; incumbere: verum etiam declamando exercere aßiduò, dici non poteſt, quantam indè lætitiam atq; voluptatem perceperim.*

II. *Sic enim arbitratus ſum: ſingulari hoc Dei Opt. Max. prouidentia, præceptorumq; tuorum, cùm publicorum tum priuatorum adhortatione factum eſſe, vt ad id animum adiiceres, quo nihil, hac quidem in ætate, quã nunc es præditus, eſſe tibi; aut fructuoſius, aut neceſſarium magis poteſt.*

III. *Plena, quod aiunt, manu collaudare eloquentiam: primas eidem tribuere homines ſolent,*

Et eſt reuera nihil illa, vel præclarius, vel vtilius: vtpote quæ præſtat: vt qui ab ea inſtructi ſunt ac parati, non rationis modò expertibus animantibus antecellant: ſed & homines alios ſuperent, &, quò tandem cuiq; placuerit, deducant.

IIII. *Quin, vt alia nunc ſilentio inuoluam, & rerum cognitio omnis quæ ex artibus ac diſciplinis paratur, inanis, vana, infrugifera eſt, niſi eloquentia accedat.*

V. *Tantum enim quiſq; profeciſſe in literis videtur, quantum dicendo ſcribendoq; exprimit: & ſine dicendi vi atq; facultate, quæ cognita ſunt maximè & perſpecta, ignorari videntur.*

VI. *Quis ergo vt leuiculam, puerilem, honeſtam parum, declamandi rationem reprehenderet, ſine qua parari eloquentia nullo modo poteſt?*

VII. *Vt enim reliquis in artibus atq; diſciplinis, niſi exercitatio accedat aſsidua, laude dignum nihil efficitur: ita eloquentiam non ars & præceptorum cognitio ſola efficit: ſed dicendi vſus atq; conſuetudo aſsidua requiritur.*

VIII. *Hæc enim eſt, quæ in rebus inueniendis ingenium acuit: iudicium format: memoriam excitat: verborum copiam adfert: actionem reddit promptam: duo denique vitia illa quæ pernicioſa, ideoq; reprehendi maximè ſolent, negligentiã ſuiq; amorem nimium tollit.*

IX. *Hinc ſummos clariſsimóſque viros ab ea mini-*

minimè abhorruiſſe legimus.

X. *Cæſar aram Lugduni extruxit, ad quam eloquentiæ certamina quotidie fierent: ita quidem, vt victor muneribus ampliſſimis afficeretur: victus, vel lingua ſua orationem deleret, vel in Arari ter demergeretur.*

XI. *Id quod Iuuenal. opinor, illud indicat:*

Palleat vt nudis qui preßit calcibus anguem:

Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

XII. *Auguſtus Cæſar, Portius Latro, Demoſthenes, aliiq; plurimi declamitare ſunt ſoliti: ipſe Cicero, cuius meritò apud omnes valere debet authoritas, non Romæ ſolum, verùm & Athenis, & in Aſia, declamando ſeſe exercuit: quodam etiam in loco fatetur, aridam atq; ieiunam orationis ſuæ futuram facultatem fuiſſe, niſi ad declamandi ſeſe exercitationes contuliſſet.*

XIII. *Itaq; tuum inſtitutum vehementer laudo proboq;: inprimis verò quod modo bono difficultatem illam ſuperaſſe te intelligo, quæ ab hoc exercitationis genere auocare plurimos conſueuit.*

XIIII. *Nam & materiam te vſui quotidiano accommodatam viribusq; parem deligere, eandemq; cognoſcere penitus: & ad cogitandum aliud, aliud ad ſcribendum tempus ſumere: & cum iudicio locos omnes inueſtigare, non temerè quæ ſeſe offerunt infarcire: & ad probatorum authorũ exempla ſtylum confirmare: & non tam ſenten-*

tiarum multitudine, aut copia verborum, quàm bonitate orationem æſtimare intelligo.

XV. *Hortor quoq; conſtanter negotium vt vrgeas: neq; ineptis quorundam iudiciis te auocari ab illo abduciq; ſinas.*

XVI. *Ita ad exoptatam illam eloquentiam peruenies: magnoq; oblectamento parentibus: amicis vſui: emolumento Reipub. tibi verò ipſi honori futurus es. Vale.*

Dictorum & ſententiarum laudationes.

Ad dictorum verò & ſententiarum laudationem q; attinet, diligenter illa obſeruanda eſt: propterea quod nobilium, doctorum, prudentum, clarorumq; virorũ dicta atq; ſententię in ſcribendo adhiberi ſæpe, & vel ſeiunctè ac ſeparatim ab aliis materiis, vel cum iiſdem coniunctè tractari ſolent. Sumendæ autẽ eiuſcemodi in laude ſententiæ ex quinq; potiſſimum locis erunt: cauſis, contrariis, ſimilibus, comparatis & teſtimoniis. Cùm enim magni alicuius viri dictum laudandum: ex cauſis primùm eius honeſtas, vtilitas, neceſſitas oſtendenda. Deinde hæc omnia declaranda atq; confirmãda, tùm aliorum magnorũ virorum teſtimoniis, qui idem affirmẽt: tùm verò contrariis, q & ad illuſtrandam, & confirmandam rem ipſam ponderis momentique pluri-

plurimum habent. Poſtremò exempla producenda eorum, qui reapſe atq; factis approbarunt id, quod alij dixerunt. Tractationis ea plerunq; eſt ratio: vt in exordio cum dicto illo, quo de agẽdum, authoris ponatur laus & commendatio: parte altera eiuſdem adferatur explicatio: tertia rationes atq; argumenta paulò ante indicata ſubiungantur: poſtrema & concluſione, ſit, aut dicti approbatio, aut προτροπὴ cohortatio. Nos exercitationis cauſa Pindari de vitæ humanę conditione ſententiam laudabimus.

Laudatio dicti Pindarici, de vitę humanę conditione.

I. *Semper Pindari apud veteres authoritas magna: eiuſdem dicta oraculorum quaſi habita loco fuerunt.*

II. *Verum inter alia omnia illud memoria cum primis laudeq; dignum videtur, quod de humanæ ille vitæ conditione protulit.*

III. *Deus, inquit, ſemper iuxta vnum bonum mala duo ponit, quæ ferre rectè prudentes, non itidem ſtulti poſſunt.*

IIII. *Præclarè enim, vir ille longè prudentiſſimus vidit, id quod videre multi nõ poſſunt: nullam, hac quidem in vita, ſuis omnibus numeris abſolutam felicitatem reperiri, ſed mali ſemper quid admixtum habere: quod vt fractos conſternatosq; homines reddit imprudentes, ita de gradu, quod aiunt,*

deiicere non poteſt eos quorum prudentia pectus munitum eſt.

V. *Neq; vero in re per ſe manifeſta multis opus eſſe rationibus exiſtimo. Quiſq; ſecum habitet: & verum illud eſſe dictum Poetæ deprehendet.*

VI. *Res eſt præclara omniq; auro atq; argento præferenda ſcientia: eam qui inuenit: digito quaſi cœlum ſeſe attingere exiſtimat. At hæc ipſa cum magnis eſt multisq; laboribus coniuncta.*

VII. *Iucunda multis in alios imperia eſſe videntur: propter hæc eadem ius violare non verentur. Verum non Damoclæum illi ceruicibus impendentem gladium cernunt: non vigilias, curas, moleſtias, pericula perpendunt, quæ ſecum adferre magiſtratus ſolent.*

VIII. *In felicitate ſumma pecunia ponitur. Atqui verum eſt illud Poetæ:*

—ſollicitæ tu cauſa pecunia vitæ es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes:
Semina curarum de capite orta tuo.

IX. *Euripidis iſtud de coniugio multi probant.*

Οὐ χρυσὸς, οὐ τυραννὶς, οὐ πλούτου χλιδὴ
Τοσοῦτον ἔχει διαφόρους τὰς ἡδονὰς
Ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς
Γνώμη δικαία καὶ φρονοῦσα πανδίκως

X. *Aſt & hic dulce atq; amarum miſceri ſæpe, coniuges qui ſunt experiuntur.*

XI. *Vitæ diuturnitatem ac ſenectutem exoptant omnes: omnes illud in ore habent:*

Daſpa-

Da ſpatium vitæ, multos da Iuppiter annos.

XII. *Vbi verò hæc eadem obrepſerit, grauior Aetna eſſe monte ſolet: omnis generis, & morbos, & moleſtias ſecum adducit.*

XIII. *Vnde non male Plato eius, quod iucundum hac in vita atque ſuaue iudicatur, hanc eſſe conditionem affirmat: vt cum contrario ſuo amicitiam quaſi perpetuam colat, nihilq; coniunctione illa reperiatur ſtabilius.*

XIIII. *Verè etiam patrum quidam ſpinæ ſimilem hominis eſſe vitam ſcribit, quæ vbi tandemcunque tangatur, tangentem pungere conſueuit.*

XV. *Sed non hoc modò rectè eſt prudenterq; à Poeta dictum: verum & illud longè pulcherrimũ, quod quomodo ſint vitæ humanæ ferenda mala, oſtendit.*

XVI. *Dolore franguntur: exanimantur metu: eiulatu atq; lamentis complent omnia imprudentes, cum miſerias ac calamitates tales aſpiciunt vel experiuntur.*

XVII. *Atqui à prudentia ſunt doctrinaq; inſtructi, non ſolum in mala eiuſcemodi mentis atq; oculorum ſuorum aciem conuertunt: verum etiam bona illa intuentur, quæ adhuc Dei beneficio ſunt reliqua, & recreare atque oblectare homines ſolent.*

XVIII. *Itaque hanc tibi optimi Poetæ ſententiam optimam commendatam ſemper habebis ma-*

ximè eo in munere, quo nunc fungeris: in quo γλυκύπικρα proculdubio multa deprehendis. Vale.

DE REPREHENSORIIS EPISTOLIS.

Sententiæ ἠθικαὶ conciliantes & moratæ.

CVm contrariorum eadem eſſe doctrina atq; preceptio ſoleat: ex iis quę de laudandi ſunt ratione dicta, etiam vnde, & quibus ex locis reprehendendi ac vituperandi ſint argumenta petenda intelligetur: vt ſeorſim de his agere neceſſe minimè habeamus. Quoniã verò reprehenſio omnis ingrata eſſe atque odium conciliare ſolet, ante omnia opera danda, vt quod per ſe aſperum & ingratum, mitigetur ac leniatur. Id aũt quinq; potiſsimum fit modis. primo προσποιήσει ἀνάγκης, neceſsitatis ſimulatione: cùm oſtendimus, per quã inuitos nos extremaq; coactos neceſsitate ad reprehendendum accedere. Deinde ἐπαίνῳ laude & commendatione præmiſſa. Tum enim verè, nõ ex odio, aut maleuolentia quadã reprehendere alios videmur, cùm debitam eis laudem non adimimus. Tertio προσώπου ὑπαλλαγῇ perſonę cõmutatione, cùm non nos, ſed alios quoſdam eſſe dicimus, qui hoc vel illud in amico deſiderent. Quartò,

κοινῷ

κοινῷ τόπῳ loco communi: quãdo perſonæ loco ipſum vitium reprehenditur, & locus de eo tractatur communis: aut de officio veri amici agitur & oſtenditur: ſimilem medico amicum eſſe, qui vt ęgrotum ſanet, morbum odiſſe ſolet: non vitia amicorum iis amanda, qui amicos amant: non omnem qui parcit, amicum: nec inimicum omnem eſſe qui reprehendit: ſatius eſſe cum ſeueritate diligere, quam cum leuitate decipere: & quæ huius generis alia de vera adferri amicitia ſolent. Poſtremo etiam morata fit oratio ἐνδείξει τοῦ ἔθους ſignificatione modi: cum ſcilicet promittimus nos reprehenſuros amicos, ſed ſine contumelia, conuitiis, calumniis. Et hæ in reprehendendo tum ſunt potiſsimum ſententiæ adhibendæ, cùm eos vituperare neceſſe habemus, quos aliqua ex parte metuimus; aut hactenus bene vixiſſe conſtat. Apud inferiores enim vel ſceleratos atq; improbos ſimplex vſurpari reprehenſio poteſt. Ad motus verò quod attinet, in vituperando animi eò ſunt maximè perducendi, vt odio proſequantur, execrentur, abiiciant illa vitia, quibus infecti videntur: pœnam etiã & pericula reformidare diſcant.

Sententiæ παθητικαὶ mouentes.

Collocatio ſententiarũ.

Collocatio ac tractatio ita inſtituitur: vt prima pars Exordium, cõſtet, vel ἐπιτιμήσει reprehenſione. lib.8. epiſt.15. lib.11.epiſt. 18. vel ὀδυρμῷ querela. lib.10.epiſt.1. vel expoſitione cauſæ & occaſionis inſtitutæ ſcriptionis. lib.7. epiſt. 12. lib.16. epiſt.17. pars altera argumenta contineat reprehenſionis, deſumpta à cauſis. lib.7. epiſt. 12. lib.10. epiſt.25. lib.11. epiſt.18. Adiunctis & circumſtantiis. lib.11. epiſt.18. Teſtimoniis & iudicio aliorum lib.11. epiſt.18. lib. 16. epiſt.17. Pars tertia & poſtrema Concluſio abſoluatur: aut προτροπῇ adhortatione. lib.7. epiſt.12. lib.10. epiſt.1. lib.11. epiſt. 18. Aut ἐπαναλήψει repetitione eorum quæ ſcripta. lib.10. epiſt.25. Aut præciſione & reiectione. lib.16. epiſt.17.

Materiæ reprehenſoriarum epiſt.

Sunt autem reprehenſiones in Ciceronis epiſtolis familiaribus: Reprehenſio dogmatis & doctrinæ alicuius. lib.7. epiſt. 12. Imperitiæ in bello gerendo. lib.7. epiſt.15. Crudelitatis. lib.10. epiſt.1. Ambitionis, lib.10. epiſt. 25. Timiditatis. lib.11. epiſt.18. Improprietatis ſermonis. lib. 16. epiſt.17. Nos exercitij gratia, ad imitationem epiſt.17. lib. 16. adoleſcentis in ſcribendo negligentiam reprehendemus. Partes illius ſunt: Exordium, reprehenſione amica conſtãs:

Con-

Confirmatio, in qua eiuſdem inſtitutæ rationes exponuntur: Concluſio præciſione & adhortatione facta. Quæ ita imitando exprimi effingiq; poſſe videntur.

I. *Video quid agas: rerum cognitioni dum ſtudes, verborum puritatis atque elegantiæ rationem prorſus nullam habes.*

II. *Vnde enim illa irrepſerunt? ingenij acuitas, & in regiſtro noto, & neſcio quæ verborum monſtra alia, quæ profectò non in Cicerone legiſti, ſed ex culina aliqua deprompſiſti.*

III. *Simplici, inquies, ſtylo contentæ ſunt epiſtolæ: verba amant quotidiana.*

IIII. *Fateor. At in ipſa etiam ſimplicitate eſſe puritas debet: & quod eſt quotidianum ſuam quoq; mundiciem requirit.*

V. *Niſi fortè, quia vaſis argenteis non vtimur ſemper, iccircò ſordibus quæ ſunt conſpurcata, vitrà placent: aut illuuie immundæ propterea gratæ ſunt mulieres, quod ſplendido veſtitu quotidie non ſeſe ornant.*

VI. *In illam igitur amabo te, curam incumbe: vt latinas poſthac & Ciceronianas magis abs te literas accipiam.*

VII. *Noſti domum ad parentes, præceptores, mecœnates miſſas literas teſtimonia quædam diligentiæ & profectus in ſtudiis eſſe.*

VIII. *Magnam ego meo teſtimonio tui expe-*

ſtationem apud parentes, & quoſdam ordinis ſenatorij viros concitaui.

IX. *Fac ergo hi vt intelligant, veritatis non gratiæ meum iſtud teſtimonium extitiſſe.*

X. *Ita gratum abundè erga me te declarabis: & quam collectam bonorũ doctorumq; virorum iam gratiam habes, nõ effundes, ſed retinebis: honeſtum etiam, domum aliquando reuerſus, in patria locum conſequi poteris. Vale.*

Quemadmodum verò in laudationibus exempla conati ſumus exercitij gratia proponere laudis perſonarũ, rerum, factorum & dictorum: ita quoque in iiſdem vt reprehenſio ſit atque vituperatio inſtituẽda, breuiter oſtendemus. Et quidem ad perſonarum reprehẽſiones quod attinet, argumentis illæ fiunt quinque potiſsimùm ex locis deſumptis. Primò cauſarum: cauſa enim abſoluta turpitudinis atque dedecoris eſt vitium. Itaq; oſtendendum: perſonam aliquam, aut vno, aut pluribus vitiis laborare: ex adiuuantibus quoque de mala educatione, inſtitutione praua agendum. Alter locus effectorum eſt, ex quo ſententiæ ſumendæ ſunt & argumenta vitiorũ opera & actiones prauas indicantia. Tertius eſt adiunctorũ, qui ſuppeditat attributa varia:

Reprehenſiones perſonarum.

natio-

nationem, patriam, parentes, familiam, & quæ huius ſunt generis alia. Quartus conſequentium eſt, in quo conſiderantur ea, quæ plerunq; vitę ſequi turpitudinem ac flagitia ſolent. Poſtremus eſt comparatorum. Maior enim perſonæ alicuius eſt vituperatio, ſi cum alia aliqua, & quidem ſceleratiſsima illa conferatur. Collocatio & tractatio talis erit: vt in exordio inſtitutæ reprehēſionis cauſæ indicentur, & ſiniſtris ſimul occurratur ſuſpicionibus, ne affectibus quid tribuere, aut aliorum delectari reprehenſionibus videamur. In parte altera ipſa ſit vituperatio cùm malorũ animi per ſe, tùm corporis ac fortunæ propter aliud, nimirum χρῆσιν vſum vitioſum. In tertia & poſtrema adhortatio ſeuera, vel etiã acris comminatio adhibeatur. Nos exercitij gratia exemplum tale proponemus.

I. *Si per occupationes, quibus diſtrictus nunc teneor, domo aliquandiu abeſſe & ad vos proficiſci potuiſſem, feciſſem ſanè illud, nec tam libenter, quàm neceſſariò feciſſem.* *Rephenſio adoleſcentis improbi.*

II. *Sed quia fieri omnino hoc iſtud tempore nequit, ne tacendo parum meo me officio fungi, aut tua comprobare delicta atque errata dicere quis poßit: non intermittam, quin abſens te obiurgem;*

operamq́; dem: vt mea hæc reprehenſio ſit, vel ſalutaris tibi, vel mihi vtilis atq; commoda ad conſeruandam, cùm famam ſecundam apud homines, tùm Deum conſcientiam bonam.

III. *Audio familiaritate te vti & amicitia cuiuſdam adoleſcentis, hominis nequam atq; extremè improbi.*

IIII. *Quod quàm ſit mihi graue ac moleſtum, norunt ij qui mecum viuunt: ego verbis exprimere ſatis nequeo.*

V. *Eſt ſanè in Academiis contrahenda cum alijs amicitia: neq;, aut iucundiores, aut firmiores vllæ ijs eſſe ſolent, quæ prima in ætate, & ſtudiis contrahuntur.*

VI. *Sed eſt in legendis amicis iudicio magno opus. Et ſi vlla in re locum habere debet illud: deliberandum diu, ſemel quod ſtatuendum, in amicitia maximè coeunda habere debet.*

VII. *Verùm tu promiſcuè quoſuis tibi aſciſcere, & numerare, non ponderare amicos videris.*

VIII. *Quid enim? an quibus ſociennus iſte tuus parentibus ſit ortus ignoras: aut illud neſcis, ex illius maioribus neminem niſi improbitate ac ſceleribus notum fuiſſe?*

IX. *Hinc, vt prouerbio dicitur, κακῦ κόρακος κακὸν ὠόν: parentis mali peßimus filius, qui à pueris nihil boni domi vidit, audiuit, didicit.*

X. *Præceptores quidem habuit optimos: ſed eos*

naſo

naſo ſuſpendit adunco: diſciplinam ferre non potuit: in cauponulis ſæpius, quàm vel templis, vel ſcholis conſpici ſeſe paſſus eſt: æs alienum grande, inſciis parentibus contraxit: in concubiam vſque noctem potauit: amoribus operam dedit turpibus: quid dicam amplius? ex omnibus vitiis quaſi compoſitus & conflatus eſt.

XI. *Itaq; quis te malus genius ad illius amicitiam atq; familiaritatem pertraxerit ignoro: ſed doleo interim vehementer.*

XII. *Seuerè etiam tibi mando: vt in poſterum ab illius conuerſatione abſtineas, eaq; in re: & mandati diuini: & Academiæ, in qua viuis: & mei, qui, vt noſti, profectionis iſtius author tibi extiti: & denique tuæ famæ atque exiſtimationis rationem habeas.*

XIII. *Sin minus, in grauem, non meam ſolùm, verùm etiam mecœnatum tuorum, atque adeò bonorum omnium offenſionem incurres: pœnas quoq; eas expectabis, quas non obedientibus minari Dominum noſti. Vale.*

In factis vituperandis cauſæ, effecta, adiuncta & comparata potiſsimum valent. Solet enim factum aliquod reprehendi: quia turpe & inhoneſtum: quia cum damno, vel publico, vel priuato coniunctum: quia difficile, ac periculoſum: quia rarum, inuſitatum, à nullo antè, aut *Actionũ & factorũ vituperationes.*

paucis, iiſque improbis ſuſceptum. Vtile autem in eiuſcemodi factorum vituperatione Ariſtotelis eſt præceptum, qui monet, vt factis vitiorum nomina imponamus, & μετασχηματισμῷ transfiguratione quadam vtamur. Tractatio atque collocatio ita inſtituenda: vt in exordio cum dolore quodam atque indignatione ſcriptionis ſuſceptæ cauſæ indicentur: parte altera factum ipſum reprehendatur atque exaggeretur: tertia occurratur iis quæ purgandi cauſa adferri poſſe videntur: poſtrema, adhortatio, aut territatio adhibetur. Exemplum tale eſſe poterit.

I. *Etſi perinuitus faciam, te vt reprehendam: &, ſi quiſquam alius, à vituperationibus abhorream: tamen amicitiæ noſtræ fides ac religio requirit: vt vituperare hoc te tempore minimè verear.*

II. *Quid enim per Deum immortalem agis, aut quid tandem cogitas?*

III. *Nemo à vobis ad nos venit (veniunt autem plurimi) quin de tua auaritia ac tyrannide conqueratur: idem multorum bonorum ad nos perſcriptæ literæ confirmant.*

IIII. *Miſeros homines exactionibus vexas: noua ſingulis propè menſibus tributa excogitas: etiã leuiculis atque minutulis delictis mulctas conſtituis grauiſ-*

grauiſsimas: imò eò quoq; improbitatis & audaciæ deuenis: vt quæ tibi, aut tuis arrident, palàm eripere aliis minimè dubites.

V. *Quæ res ſanè facit: vt præ magno dolore, quid ad te ſcribam, non reperiam.*

VI. *Tiberius Imperator paſtoris boni eſſe dixit, tondere, non deglubere pecus: & Alexander ille Magnus olitorem odiſſe ſeſe eum affirmauit, qui herbas radicitus extirpet.*

VII. *Patres appellantur Magiſtratus: populi vocantur Paſtores.*

VIII. *Tu verò (erumpat enim vox libera) tu inquàm lupum non paſtorem agis: ſubditorum miſerorum, & iam propter annonæ caritatem grauem ac diuturnam, ære oppreſſorum alieno, ſudorem atq; ſanguinem exugis.*

IX. *Habuiſti tua in familia viros, non tam prudentiæ aut fortitudinis, quàm iuſtitiæ atq; continentiæ laude inſignes: & ne longius abeamus, patrem, antiquæ fidei ac religionis exemplum.*

X. *Qui profectò non auri argentiq; maiorem, quàm pietatis & iuſtitiæ rationem habuit: aut ſatius eſſe duxit, opes atq; diuitias magnas corradere, quam nomen poſt ſe bonum relinquere.*

XI. *Tu verò, modò nummorum aceruos maximos extruas, quid de te aut cogitet Deus, aut ſentiant ac loquantur homines, ſusq; deq; ferre videris.*

XII. *Equidem tributa exigere: imponere vectigalia: imperare alia: non impium, aut turpe eſſe iudico.*

XIII. *At nulla flagitante neceßitate hoc facere: ſubditos ita expilare, vt ad familiam alendam nihil ipſis relinquatur: id omni à pietate, iuſtitia, honeſtate alienum duco.*

XIIII. *Exempla quoque tùm vetuſta, tùm recentia, & adhuc propè ſpirantia ſatis teſtantur, eos qui abradendæ à popello miſello pecuniolæ rationes excogitarunt nouas, & ex aliorum ruinis ſua ſunt exædificare conati: & perdidiſſe alios, & tandem cùm Deo, tùm hominibus inuiſos factos, periiſſe miſerè.*

XV. *Verùm hanc in ſententiam plura, opinor, cognati ac propinqui tui ad te perſcribent: quibus obtemperabis.*

XVI. *Simul etiam liberam hanc meam reprehenſionem, æqui boniq; conſules, memor illius: amicorum vulnera, non vulnera, ſed oſcula. Vale.*

Dictorũ & ſententiarũ reprehenſiones. In dictis verò atque ſententiis reprehendendis inuentio ita inſtituenda: vt oſtendamus eſſe eas hominis, aut obſcuri, aut indocti, aut imprudentis. Deinde intelligi facilè non poſſe. Tum eſſe abſurdas, impias, pernicioſas generi humano. Tractatio quoque & collocatio abſoluetur: principio à ſcribendi occaſione ſumpto: di-

pro: dicti aut ſententiæ expoſitione: ἀνασκευῇ refutatione: concluſione, vel reprehenſione, vel ἀποδιώξει reiectione atque præciſione conſtante. Nos exercitij cauſa Menandri illud dictum, χρόνῳ πάντα γίγνεται reprehendemus.

I. *Scribis vehemẽter tibi Menandri illud dictum placere: χρόνῳ πάντα γίγνεται, tempore omnia fiunt & producuntur.* *Menãdri de tempore ſententiæ reprehenſio.*

II. *Ego verò, dum paulò, vti debeo, illud conſidero diligentius, vt falſum atque abſurdum reprehendendum maximè eſſe reperio.*

III. *Quid enim abſurdum magis quàm rerum omnium, & generationem & perfectionem tribuere ei, quod omnia deſtruit, perdit, conficit?*

IIII. *Nihil ſapientia eſt ac ſcientia pulchrius aut præſtantius: eam qui ſunt conſecuti, non reliquos modò homines longo poſt ſe interuallo relinquere, verùm etiam à diis ipſis quàm proximè abeſſe videntur.*

V. *Hanc verò res nulla alia quàm tempus perdit: quod ingenij vires imminuit, & duas illas ſtudiorum peſtes, obliuionem ſcilicet & dubitationem inducit.*

VI. *Senſibus deinde totiq; corpori quid niſi tempus interitum adfert?*

VII. *Oculi in ſenectute caligant, & ſtellæ lucidiſſimæ denſiſſimis quaſi nubibus obteguntur: aures*

obſurdeſcunt: manus, quæ corpus cuſtodiunt, tremere incipiunt: crura, quibus idem nititur, ſub pondere vacillant.

VIII. In ea autem quæ à fortuna manant, atque proficiſcuntur, an non vim ſuam atq; tyrannidem tempus exercet: dum facultatibus homines exuit: dum, quos terra profert fructus, conterit & corrumpit: dum præclarorũ virorum memoriam obliuione extinguit?

IX. Iam verò rei literariæ quantam idem tempus cladem intulerit, quis ignorat?

X. Quære Ariſtotelis plus quàm quingentos libros, qui à doctis numerantur, nuſquã apparebunt: quære rerum geſtarum ſcriptores, quorum ſuis in ſcriptis mentionem Cicero facit: non reperies.

XI. In tempore porrò corruptis deprauatisq; locis emendandis quàm viri doctiſſimi clariſſimiq; diligentes ſunt hodie, & quàm hac in re de literis præclare merentur.

XII. Ad Imperia verò & Reſpubl. conferre me ſi vellem, Deum immortalem, quàm mihi metuendum eſſet, ne in orationem integram epiſtola excreſceret.

XIII. Vbi doctæ illæ & literis literatisq; hominibus affluentes Athenæ? vbi nobilis & rebus bellicis celeberrima Lacedæmoniorum Reſpublica? vbi æmula laudis Romanæ Carthago? nónne his omnibus tempus ſolũm ruinam atq; interitu attulit?

XIIII.

XIIII. *Vbi aureum illud caput: vbi pectus argenteum: vbi venter æneus: vbi Babyloniorum, Perſarum, Macedonũ imperia olim florentiſſima? proſtrata iam atq; euerſa iacent.*

XV. *Quin &*

Deficiunt validi longæuo tempore tauri,
Et quondam pulcer, qui modò turpis equus,
Fracta diu rabidi compeſcitur ira leonis,
Lentaq; per ſenium Caſpia tigris erit.
Ipſa etiam veniens conſumet ſaxa vetuſtas,
Et nullum eſt, quod non tempore cedat opus.

XVI. *Sed nimirum ineptus ego, qui temporis iniurias complecti omnes, & quidem epiſtola complecti conor.*

XVII. *Et adductæ iam rationes: quæ noſtros in oculos incurrũt quotidie, ſatis teſtantur: falſam atq; abſurdam Menandri hanc ſententiam, veram contrà illam Sophoclis eſſe:*

Πάνθ᾽ ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε καὶ φλέγει.

Reliquæ adhuc rerum ſunt reprehenſiones, quæ, vt rectè inſtituantur, argumenta ſumenda erũt ex cauſis, effectis & adiunctis: & docendum reprehendi eas meritò debere: propterea quòd turpes ac inhoneſtæ: quòd laboris, difficultatis, moleſtię plurimùm: parum, aut nihil vtilitatis habeant. Atque hæc ita tractabuntur: vt principium à ſcribendi cauſa atq; *Rerũ reprehenſiones.*

occaſione ducatur: ipſa ſubſequatur reprehenſio, non nudè, ſed argumentosè inſtituta: concludatur adhortatione, atq; illud quæratur: vt parui facere, atq; contemnere amicus incipiat, quod in amore antè deliciisque habuit. Nos artem militarem exercitij gratia vituperabimus: & authores nobili cuidam adoleſcenti erimus, ne huic ſeſe dedat. Sentẽtiæ breues atq; nudæ tales eſſe poterunt.

Rei militaris reprehenſio. I. *Nihil multis hinc ab annis accidiſſe mihi acerbius memini, eo quòd nuper audiui, te in dies in ſtudijs remiſſiorem fieri, deq; vitæ genere literario cũ militari commutando cogitare.*

II. *Quia enim ab ineunte ætate vnicè te amaui: author quoq; nobiliſſimo D. parenti extiti, vt ad Academias te ablegaret: non poſſum non dolere: ſubitò te, vel iuuenili quadam temeritate, vel improborum quorundam voculis perſuaſum, ſtudiis valedicere, & quidem tale vitæ genus ſectari velle, quod, ſiue honeſtatem quis ſpectet: ſiue iucunditatem quærat: ſiue propoſitam vtilitatem habeat, probari nullo modo poteſt.*

III. *Etenim, vt miſſis nunc aliis, ea ſolùm, quæ te tuiq; ordinis homines propius attingunt, breuiter indicem, quid nobili nato loco eſſe turpius poteſt, quàm mercenarium fieri: libertatem cum ſeruitute commutare: ex aliorum cruore quæſtum facere:*

ſacere: pietati omni renunciare?

IIII. *Neque enim, vt ille ait in caſtris malus eſt quiſquam, niſi is, qui mali nihil agit.*

V. *Neque etiam temere illud à Poeta dictum, ferè in prouerbium abiit:*

Nulla fides pietasq; viris qui caſtra ſequuntur,
Venalesq; manus: ibi fas vbi maxima merces.

VI. *Ab honeſtate verò ad voluptatem atq; delectationem ſi te conuertas, ecquam obſecro in caſtris reperies?*

VII. *Sub dio iacere, excubias etiam agere milites: imbres, niues, æſtum, frigus perferre coguntur: aſſueti vino bono & generoſo aqua ſitim reſtinguere neceſſe habent: pro ſymphonia ſuauiſſima, bombardarum tonitrua, armorrum crepitus, clamores, eiulatus, lamenta audiunt: ſæpè pane duro, aut pomis caducis famem depellunt.*

VIII. *At commoda, inquies, homines excitant vt caſtra ſequantur.*

IX. *Egregia ſanè commoda, cùm domum ſecum milites mancos ac debiles artus: inſignem vulneribus vultum: paupertatem, vlcera, morbos varios referunt.*

X. *Sed eſto: onuſti coronatis redeunt milites: quam obſecro diuturnus illarum diuitiarum eſſe vſus poteſt, quæ à miſellis ruſticulis, aut aliis innocentibus ſunt abraſæ?*

XI. *Et hoc in more habere milites nonnullos vi-*

demus, vt ſi quam in bello pecuniolam collegerint, ne rubiginem forte illa obducat, illicò hoſpitibus committant.

XII. *Itaq; etiam atq; etiam te hortor: vt omni abiecta cogitatione militiæ, ſtudia tua perſequaris: quæ & voluptates veras ac diuturnas habent: & denique bona ea adferunt, quæ, nec eripi; nec ſurripi poſſunt.*

XIII. *Loco natus es nobili, quem maximè virtus atque doctrina ornat: principem habes, & literatum ipſum, & ſummum literatorum patronum: parentes tibi* Deus *eſt largitus, qui ſuppeditare tibi ſumptus, & volunt & poſſunt: non ingenium deeſt: non alia ad capeſſenda ſtudia neceſſaria deſiderantur.*

XIIII. *Tuum igitur erit conſiderare potius, quid* Deo, *quid parentibus, quid cognatis & amicis debeas: quàm alij, non ad quietem atque otium, ſed bella nati homines ſuadeant. Vale.*

DE

DE RATIONE CONTEXENDARVM EPISTOLARVM

Pars III.

IVDICIALIS GENERIS; ET PRIMÒ ACCVSATORIAS SEV EXPOSTVLATORIAS EPISTOLAS CONTINENS.

INDICATIS breuiter iis, quę in deliberatiui atq; demonſtratiui generis conſideranda epiſtolis videntur, ordo requirit, de illis vt agatur, q̄ ad iudiciale genus referuntur: cuiuſmodi ſunt accuſatoriæ, ſeu expoſtulatoriæ, querulæ, minatoriæ, exprobratoriæ: & quę ad eaſdem reſponſiones inſtituūtur. Nam& harū vſus eſſe magnus ſolet: cum, aut alios accuſamus: aut ingratis beneficiorum exprobramus obliuionem: aut

de indigna noſtra fortuna, vel inimicorum iniuriis conquerimur: aut pœnas improbis minamur: aut nos purgamus, & noſtram partim, partim amicorũ famam atq; exiſtimationem contra eos defendimus, qui calumniis & criminationibus falſis detrahere eidem aliquid conantur. Ad expoſtulatorias ergo μεμπτικὰς epiſtolas quod attinet: ita illæ vocantur, in quibus, vel cum amicis de neglecto officio: vel illata iniuria atq; contumelia cum inimicis expoſtulamus. Vt autem rectè in his inuentio inſtituatur, conſiderandum eſt: ſit nec ne illud factũ, de quo cum amico expoſtulare volumus: deinde eiuſcemodi ne ſit: vt obiurgationem atq; expoſtulationem mereatur. Cum negare factum poſſe videtur is, ad quem ſcribimus: argumenta ex cauſis, adiunctis, teſtimoniis ducenda erũt: atq; inde faciendi aliquid, cùm voluntatem, tùm facultatem adfuiſſe: factum quoque oſtendendum eſt. Cum verò nõ quidem negari factum prorſus: at aliquam interim vel extenuationẽ, vel purgationem admittere poſſe videtur: adferenda ea, quæ illud ipſum exaggerant dignumq; reprehenſione atque expoſtulatione docent:

Expoſtulatoriæ epiſtolæ.

Probantes expoſtulationum ſententia.

cent:

cent:quia ſcilicet contra pietatem, leges, vel diuinas vel humanas, mores bonos, conſuetudinem, promiſſa & facta commiſſum: neque, aut caſu, aut errore, aut neceſsitate, ſed data operá atque ſtudio commiſſum: & hoc tempore modóue commiſſum: & commiſſum contra eum, qui vir ſit bonus, non de aliis meritus malè: ob ætatem, doctrinam, prudẽtiam, authoritatem colendus: & commiſſum ab eo qui facere hoc minimè debebat: *ἀντιθέσει* denique acceptorum & neglectorum officiorum contentione facta, illud ipſum exaggerandum. Ad *πάθη* verò animorum motus quod attinet, tres huius generis in epiſtolis potiſsimum excitandi ſunt: odium, metus, pudor ſeu verecundia operaque danda, vt pudore ſuffundatur is, ad quem ſcribimus: odiſſe ſua vitia, à pęna denique metuere ſibi incipiat. Vt modeſtè quoque, nõ ſuperbè, iracunde, aſperè, minaciter accuſare atque expoſtulare videamur, ſententiæ adhibendæ *ἠθικαὶ καὶ συστατικαὶ* erunt ad mores indicandos amabiles, & aſperitatem atque vehemẽtiam ipſius expoſtulationis mitigandam accõmodatę. Cuiuſmodi ſunt: primum *ὀδυρτικαὶ* querulæ: cum de noſtra

Sententiæ expostulationis παθητικαὶ mouentes.

Sententiæ ἠθικαὶ conciliantes.

fortuna conquerimur, & ſimul, dolere nos ex animo oſtendimus: contra honeſtatem, pietatem, amicitiam ab amico commiſſum aliquid: malè etiam ſentiendi & loquendi occaſionem aliis datam eſſe. Deinde μετάστασις: cum facti culpam remouemus à perſona, transferimus in alios, atque ita quodammodo amicum excuſamus. Tertiò προσποιήσεις ἀνάγκης neceſsitatis ſimulationes: cum oſtẽdimus grauatè admodum obiurgatione nos atque expoſtulatione vti: cogi autem neceſsitate & amici improbitate ac iniuria. Quartò ἀξιώσεις petitiones: cum rogamus amicum, in bonam partem expoſtulationem illam vt accipiat. Quintò, προσώπων ὑπαλλαγαὶ perſonarum commutationes: cum non vt ex nobis, ſed aliis aliquid adferimus. Sextò, συστάσεις commẽdationes atque laudationes eorum, quibus cum expoſtulamus: maximè ſi præpoſitæ illæ expoſtulationibus fuerint. Septimò ἀποδιώξεις καὶ ἀποσιωπήσεις præciſiones & reiectiones: cum abrumpimus expoſtulationem: & vel ad alios remittimus eum, quo cum expoſtulamus: vel grauatè admodum accuſationes nos inſtituere oſtendimus. Octauo,

ἀνακοι-

ἀνακοινώσεις communicationes: cùm ſuo ipſius teſtimonio eum ad quem ſcribimus conuincimus. Nonò, εὐχαὶ vota atq; precationes, quibus mentem iis ad quos ſcribimus, meliorem precamur. Decimò, integritatis & candoris profeſsiones: cùm, vt noſtra, & natura, & amicitia poſtulat, liberè nos atque apertè agere oſtendimus. Poſtremò ὑποσχέσεις pollicitationes ac delationes, amoris, ſtudij, officij: quæ poſitæ in fine, paulò aſperius atq; acerbius dicta, leniunt atque mitigant. Collocatio autem ita in huius generis epiſtolis inſtituitur: vt in exordio ſit: vel querela & obiurgatio ex abrupto facta. lib.3.epiſt.6.lib. 5.epiſt.1. Vel occaſionis, & cauſarum inſtitutæ ſcriptionis expoſitio.lib.5.epiſt.5.7.lib.7. epiſt.23. Pars altera propoſitio ipſam μέμψιν obiurgationem atque expoſtulationem contineat. lib.5. epiſt. 5.7. Tertia eiuſdem rationes, cùm docentes, tùm amplificantes complectatur: petitas à contentione atque comparatione acceptorum & neglectorum officiorum. lib.3. epiſt.6.lib.5. epiſt. 5.Factis & meritis præclaris.lib.3.epiſt.6. lib.5.epiſt.1.5.7.Perſonę, cui iniuria infertur dignitate. lib. 3. epiſt. 6.lib. 5. epiſt. 1.

Collocatio ex poſtulatoriarum epiſtolarum.

Pollicitationibus multis atque magnis. lib.3.epiſt.6.Teſtimoniis & iudiciis aliorum. lib.3.epiſt. 6.lib.5. epiſt. 5.7. Effectu & occaſione maleuolorum data calumniis.lib.3.epiſt.6.Inutili,ſeu ſuperuacuo. lib.7.epiſt.23. Poſtrema,concluſio abſoluatur : aut προτροπῇ adhortatione, ne denuò peccet amicus lib.16.epiſt.25. inimicus quàm amicus eſſe malit.lib. 5.epiſt.5. aut ἀξιώσει petitione, vt quod neglectum compenſet amicus, vel, quod perperam factum, corrigat.lib.3.epiſt.6.lib.5. epiſt. 7. lib. 7. epiſt. 23. aut ἀπειλῇ comminatione.lib.5. epiſt. 1.5. aut accuſationis & expoſtulationis mitigatione,& ὑποσχέσει delatione officij.lib. 3.epiſt.6. Reperiuntur verò eiuſcemodi expoſtulationum materiæ Ciceronis in epiſtolis familiaribus variæ.

Materiæ expoſtulationum.

Expoſtulationes de negligentia in ſcribendo.lib.16. epiſt.25. congreſſu vitato.lib.3.epiſt.16. Ἀχαριστίᾳ, non relata gratia. lib. 5. epiſt. 5. intermiſſa noſtra commendatione atque promotione. lib.5.epiſt.7. neglecto precio ac delectu in emptione rerum. lib. 7. epiſt. 23. duriuſculè tractatis & oppugnatis amicis. lib. 5. epiſt.1. In epiſtolis quoq; ad Atticũ huius generis exempla ſunt. lib.3. epiſt. 25. in qua

qua Cicero leniter cum Attico expoſtulat,quòd eo maximè tempore diſceſſerit, quo illius opus auxilio habuerit. Et lib. 8 epiſt.18.in qua Domitij Pompejus,cùm in ſcribendo, tùm coniungendis copiis officium deſiderat. Et lib. 11. epiſt.19. in qua Cicero de literarum, non modò infrequentia, verumetiam breuitate cum Antonio expoſtulat. Nos 5. lib. 5. fam. imitari conabimur, in qua ἀχαρισίας Antonium Cicero accuſat. Partes illius ſunt; Exordium, in quo Cauſas Cicero exponit, quibus adductus ad Antonium nunc ſcribat.Propoſitio, expoſtulationem,ſed contentione factam continet, vt eò ſcilicet acrior ſit & vehementior.Tertia αὔξησις amplificatio eſt. Non enim nudè,quæ ſint ab Antonio commiſſa ingratè,exponuntur: verùm, cùm bonorum virorum teſtimoniis, tùm acceptorum & neglectorum beneficiorum collatione amplificantur. Quarta & poſtrema concluſio adhortatione & comminatione abſoluitur.Quę nos imitari de ἀχαρισίᾳ cum amico expoſtulabimus hoc modo. *Imitatio expoſtulatoriæ epiſtolæ.*

I. *Etſi conſtitueram nullas ad te prorſus dare literas:quòd valere apud te parum eas ſcirem:tamen cum ad te viri aliquot proficiſcerentur boni : &*

vtriuſq; noſtrum amantißimi atq; cupidißimi, aliquid ad te ſcribendum mihi eſſe ſum arbitratus.

II. *Ego ſi quæ tua in me deſiderarem officia non, opinor, malè facerem: aut in bonorum virorum reprehenſionem incurrerem.*

III. *Quæ enim cunq; à bono veroq; expectari amico poſſunt: ea pro virili præſtita à me tibi eſſe memini.*

IIII. *Nihil profectò tuis me commodis atque honoribus habuiſſe antiquius, tui norunt amici ac propinqui: gratiam quam mihi retuleris, ipſe ſcis.*

V. *Sed quid de gratia ego nunc ſcribo, cum etiam maleficiis mea te compenſare beneficia ex multis iam audierim?*

VI. *Nolo enim ſcribere compertum hoc me exploratumq; habere, ne in idem leuitatis crimen incidam, quod in te multi mecum viri boni reprehendunt.*

VII. *Quæ verò ſint illa, quæ ad me amici detulerunt, literis hiſce non committam: ex aliis cognoſces, quibus æquè atq; mihi auditu illa grauia moleſtaq; extiterunt.*

VIII. *Quàm tui ego amans extiterim ſemper: quàm de ſtudiis tuis ſenſerim præclarè: quàm ad hæc eadem proueheda promptus ſemper paratusq; fuerim, non amici modò & qui ſanguinis te attingunt communione, ſciunt: ſed alij quoque, & quidem*

dem Senatorij ordinis viri teſtes mihi erunt.

IX. *Quàm tu interim erga me fueris gratus, & his & aliis pluribus cognitum eſt.*

X. *Iam enim peruulgata res eſt, inq; omnium ore verſatur; & tu ipſe exiſtimare poteris, ſi tua quædam in me, cùm dicta, tum facta in memoriam redigere volueris.*

XI. *Quæ tua cauſa hactenus feci: primum opinione quadam tuarũ virtutum: deinde amore: tum conſtantia adductus feci.*

XII. *Sed quia eiuſdem eſſe dementiæ aiunt, & in vndis marinis ſementem facere: & in hominem ingratum beneficium conferre; non committam, vt vel tibi, vel aliis inſanire videar.*

XIII. *Interim illud tibi Plautinum occurrat velim: improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit.*

XIIII. *Iſta ad te nunc cur ſcribam: ex iis qui haſce meas tibi literas tradunt, cognoſcere poteris.*

XV. *Quos etiã ita tibi commendo: vt, quãquam vltrò facturũ te omnia confido, tamẽ precibus meis abs te hoc contendam: vt ſi quid amoris in me tui adhuc eſt reliquum, illud omne in viris hiſce optimis noſtriq; amantiſſimis oſtendas, atq; ita eos tractes, vt domum reuerſi apud me gratias agere tibi queant.*

Hoc ergo ferè modo Ciceroniana ſecuti veſtigia expoſtulatorias inſtituere *De ratione reſpondendi*

aliorũ literis accuſatoriis ſeu expoſtulatoriis.

epiſtolas poterimus. Quemadmodum verò cum aliis, vel de neglecto officio, vel illata iniuria ſæpè expoſtulamus: ita neceſſe quoque non rarò habemus: vt ad aliorum expoſtulationes atque obiurgationes reſpondeamus, & defenſione ac purgatione vtamur. Nemo enim tàm probus, aut etiam felix atque fortunatus eſt, qui non aliquando propter obtrectatorum calumnias, vel ætatis & iudicij imbecillitatem, vel aliorum corruptelas reprehendatur. Vbi erecti eſt & liberalis ingenij: non tacere: non rumorem negligere: non parui aliorum expoſtulationes atque obiurgationes facere: ſed modeſtè ſeſe ac verecundè excuſare, & quæ ſunt allata refellere. Ad inuentionem ergo quod attinet: quia non vna eſt eadem defendendi ſeſe atque excuſandi ratio: neque ex iiſdem ducenda locis argumenta: ſed quadripartita potiſsimùm hîc inſtituenda conſideratio erit. Aut enim id quod obiicitur, negatur: aut, vt rectè factum, defenditur: aut extenuatur: aut denique ad confeſsionem atque deprecationem fit ſimplicem refugium. Cum id, de quo expoſtulatio inſtituitur, negare volumus: tribus maximè vtendum locis e-

Argumenta in reſpondendo obſeruãda.

çis erit:cauſarum,adiunctorum,teſtimoniorum.Et quidem ex cauſis negandum: voluiſſe illud nos facere, quod in nobis alij reprehendunt:quia non potuerimus odiſſe amicum, aut eiuſdem obliuiſci: quia nemo ſit, qui odio eum proſequatur, vel etiam nos inſtiget, vt hoc aut illud maleficium committamus: exiguam vtilitatem, vel nullam potius, imò maius damnum atq; incommodum, quàm emolumentũ percepturos nos inde fuiſſe. Deinde ex adiunctis, & temporis,loci, perſonarum, inſtrumentorum conſideratione oſtendendum: neque temporis nos ſatis, neque locum opportunum, neque occaſiones rei gerendæ alias habuiſſe: ita vitam hactenus noſtram inſtituiſſe, vt nulla improbitatis, nequitiæ, odij, maleuolentiæ: beneuolentiæ, morum,probitatis, vitæ ſanctimoniæ plurima in nobis deprehenſa veſtigia fuerint. Tum ex teſtimoniorum loco planum faciendum: optimorum nos virorum euincere teſtimoniis poſſe: nihil tale à nobis dictum factúmue eſſe vnquam. Aut,ſi teſtimonia deſint, non admittenda temerè ab aliis quæ dicuntur: non fidem rumuſculis habendam: præſertim ſi capite illi

authoreq́; caruerint: cogitandum etiam id, quod præclarè Poëta ſcribit:

Ὅς τις δὲ διαβολαῖσι πείθεται ταχὺ:
Ἤτοι πονηρὸς αὐτὸς ἐςι τοὺς τρόπους
Ἢ παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.

Iam verò ſecundo loco, cum non negare aliquid, ſed vt bene recteq́; factum defendere placet: indicandum primò ex cauſis erit: honeſtum, iuſtum, æquum eſſe id, quod in nobis reprehenditur: coniunctum etiam cum vtilitate, vel publica, vel priuata illius, nobiſcum qui expoſtulat. Deinde depromendæ leges: iudicia doctorum atq; prudentum proferenda: ſententiæ & autoritates ſacræ ſcripturæ, philoſophorum, poëtarum, aliorum producendæ. Comparatorum tertiò locus adhibendus, & exemplis vtendum: propterea quod exemplis, quæ fiunt, rectè fieri iudicantur: maximè ſi hominũ illa proborum, & non nulla præditorum autoritate extiterint. Quoties autem id quod nobis obiicitur, purgandum & non ſimpliciter vt rectè factum, ſed vtcunq; excuſandum eſt: ex cauſis & adiunctis argumenta ducenda, & oſtendendum ex illis erit: commiſſum aliquid: aut imprudẽtia, aut caſu, aut neceſsitate, aut fortuna aduerſa: non conſultò, non odio aliquo, vel maleuo-

leuolentia,non nocendi ſtudio, non alia quadam de cauſa. Ex his impedimenta quoq; colligēda & difficultates,quæ nobis obſtiterint, quò minus ea, quæ erant facienda præſtaremus : cuiuſmodi attributa ſunt perſonarum, temporum,locorum,inſtrūmentorum. Poſtremò cum ita res ſeſe habent, vt nulla elabendi aut excuſandi adferri ratio queat:ad delicti confeſsionem & veniæ deprecationem confugiendum. Quæ tamen ipſa quoq; non nudè in epiſtolis ponenda: ſed rationes adiunctas habere debet: ita quidem, vt ex adiunctis: & temporis, perſonarum, loci, rerum conſideratione doceatur: lapſos nos eſſe ætate,imprudentia, errore: nunquam tale quid ante perpetráſſe:iam quoque emendationem polliceri : duci pœnitentia: ipſum denique delictum eius generis non videri: vt tam acrem atq; vehementem expoſtulationem mereatur. Oſtendatur ex cauſis : iuſtum , æquum , & honeſtum eſſe, vt imprudentia atque errore lapſis detur venia : maximè ſi ignoſci ſibi petant atque meliora deinceps promittát. Locus tractetur cómunis, de hominis conditione. Verbi gratia: angelorum eſſe labi nunquá: labi

&c non ſurgere diabolorum;&c labi &c ſurgere hominum : nihil grauius eſſe quàm ita errantem deſerere : vt ſe reuocare nequeat: penè, quod Seneca ait, innocentẽ eſſe eum,quẽ peccaſſe pœniteat.Ex comparatis deniq; exempla proferantur eorum, quibus ſimili in cauſa, vel etiam maiori data venia fuerit,&c ab iiſdem qui nobiſcum iam expoſtulant.Vbi maximè Dei exemplum mouet, qui offenſus grauiſsimè, tamen miſſo filio hominibus ignouit: &c adhuc benefacit quotidie. Ad motum verò animorũ quod attinet:quia expoſtulationes,odium,iram &c indignationem habent, opera danda vt contrariis affectibus motus illi tollantur: &c excitetur hic primum commiſeratio, quæ oritur cùm innocens aliquis, probatisq; præditus moribus, aliorum côuitiis verberatur aut proſcinditur calũniis. Deinde amor &c beneuolentia, quæ virtute maximè atq; beneuolentia conciliatur: ſi oſtendatur ſcilicet alienos ſemper nos eo à vitio fuiſſe,ꝙ nobis obiicitur: commoda etiam amici prouehere : impedire atque auertere damna ſtuduiſſe.Tum motus , non ſolum infamiæ &c dedecoris, verum etiam damni ac detrimenti : propterea

παθητικὰ argumenta.

pterea quòd, & vt leues malè apud bonos viros audiunt, & non rarò ſe ſuosque perdunt, qui nimis faciles atque patulas calumniatoribus aures præbent: quemadmodum Alexandro hoc magno, Tiberio, Cambiſi, Dionyſio tyranno aliisque accidiſſe hiſtorici referunt. Poſtremo odiũ & inuidia ipſis calumniatoribus atq; delatoribus conflanda, qui ſocietati ciuili nocere maximè ſolent. In conciliando denique illud curandum, vt non ridere aut contemnere, ſed magnifacere amici expoſtulationem videamur: ideoque ſententiæ vſurpandæ, quæ pudorem & verecundiam declarant: quæ dolorem ac triſtitiam indicant: exercitationem continent & deteſtationem eius quod obiicitur: laudem denique atque commendationem complectuntur illorum apud quos purgare nos volumus: quæ ab æquitate, prudentia, iuſtitia, manſuetudine, clementia ducetur. Ac propterea locum hìc maximè habent admirationes, deteſtationes, imprecationes, indignationes, pollicitationes & his ſimilia alia: quibus & excuſatio fit morata: & venia facilè impetratur. Interdum etiam accuſatio eſt acerbitatis in reſpondendo mu-

ἠθικὰ conciliantia argumenta.

tua inſtituenda, & culpa in eius, qui nobiſcum per literas expoſtulauit, moroſitatem aut iniquitatem transferẽda. Collocatio autem atq; tractatio talis erit: vt prima pars Exordium, conſtet: aut ſignificatione doloris ex accuſatione & reprehenſione amici percepta. lib. 2. epiſt. 1. Aut occaſione ſcribendi. lib. 10. epiſt. 34. Aut reprehenſione inſtitutę expoſtulationis: lib. 7. epiſt. 27. Aut excuſatione ſilentij, & infrequentiæ literarũ. lib. 7. epiſt. 13. lib. 10. epiſt. 31. Aut obteſtatione. lib. 10. epiſt. 35. Aut execratione. lib. 11. epiſt. 21. Pars altera Contentio argumẽta complectatur, quę vſurpari in reſpondendo antè oſtendimus: & habẽt vel ἄρνησιν inficiationem atq; negationem facti ſimplicem. lib. 2. epiſt. 1. lib. 7. epiſt. 27. lib 10. epiſt. 34. lib. 12. epiſt. 18. vel μετάστασιν remotionẽ & tranſlationem culpæ in perſonas alias lib. 2. epiſt. 1. lib. 10 epiſt. 35. lib. 15. epiſt. 17. ipſum Accuſatorẽ. lib. 15. epiſt. 17. Ignorãtiã. lib. 7. epiſt. 13. Neceſsitatem lib. 10 epiſt. 31. & 34. Fortunam. lib. 10. epiſt. 34. Occupationes multas & varias. lib. 12. epiſt. 18. Vel ἀντίληψιν defenſionẽ abſolutam. lib. 10. epiſt. 8. 31. 34. 35. Pars tertia Concluſio abſoluatur: ἀποχέσει eorũ q̃ requirere amicus videtur

Collocatio argumentorũ.

tur pollicitatione.lib.2.epiſt.1. Aut teſtificatione amoris & beneuolentiæ. lib. 3. epiſt.7.lib.10.epiſt.21. Aut παραμυθίᾳ mitigatione & excuſatione acerbitatis in reſpondẽdo adhibitæ.lib.7. epiſt.27. Aut ἀξιώσει petitione, vt in bonã partẽ, ꝙ factũ, amicus interpretetur: ſuſpicionibus depoſitis optima quæq; ſibi de nobis polliceat: non temerè fidem adhibeat iis quæ deformandi gratia à maleuolis adferuntur: ſed Ageſilaum & Alexandrum ſecutus, puram & obſtructam abſenti quoq; aurem relinquat: nec minus eorum qui reprehendunt alios, quàm qui reprehenduntur, vitam atq; mores conſideret.lib. 10.epiſt.34.35. Sunt autem reſponſionum eiuſcemodi res & materiæ Ciceronis in epiſt. familiar. variæ. Reſponſio ad expoſtulationem de infrequentia & raritate literarum. lib. 2. epiſt. 1. lib.7. epiſt. 13. lib.12.epiſt.18.lib.15.epiſt.17. De non præſtitis officiis. lib.7. epiſt. 27. De mora in repub.defendenda. lib.10. epiſt.8. De patrocinio & defenſione improborum ac ſeditioſorum.lib. 10. epiſt. 31. 34. 35. Nos exercitij gratia lib. 2. epiſt. 1. imitari ex parte conabimur, in qua Curioni ſeſe Cicero purgat: à quo ob literarum raritatem accuſatus & reprehenſus fuerat.

Materiæ reſponſionũ ad epiſt. expoſtulatorias.

Imitationis exemplum.

Nam & hodie fieri illud crebrò ſolet, vt propter ſilentium diuturnum accuſationes atque expoſtulationes cum amicis inſtituantur. Partes epiſtolæ illius tres ſunt. Exordiũ ſignificatione conſtans doloris, ex accuſatione amici percepti. Excuſatio & purgatio ἀρνήσει negatione partim, partim μεταστάσει remotione facta. Pręciſio & reiectio excuſationis ꝓlixioris: pollicitatio officij in ſcribẽdo. Quæ imitando effingere poterimus hoc modo.

I. *Etſi doleo, ob literarum meraritatem atq; infrequentiam accuſari: tamen non tam hoc mihi graue moleſtumq; extitit quàm gratum cognoſcere, memoriam adhuc te mei tenere.*

II. *Idq; eò fuit mihi gratius, quòd de quo expoſtulationem mecum inſtitueras, in eo culpa me vacare omni ſcirem.*

III. *Ego tuæ familiæ ſplendorem, vti debui magnifeci ſemper: te ipſum ob doctrinam ſingularem: authoritatem ſummam: incredibilem humanitatẽ: egregias virtutes alias, colui: propter plurima maximaq; beneficia, non patroni modò, verùm etiam parentis loco habui.*

IIII. *Eadem adhuc mea eſt voluntas, & erit, quandiu lucis huius frui vſura contigerit: neq; illa, vel temporis diuturnitate, vel locorum interuallis, vel re vlla alia immutabitur.*

V. Qua

V. Qua de re, quia propter ſilentium ſubdubitare videris, quæſo æquum te præbeas: neq; ſuſpiciones temeq; dignas parũ, aut concipias ipſe, aut ſuſcitatas ab aliis foueas atq; confirmes.

VI. Literas tu meas requiris. Equidem quoties fuit, cui rectè tutoq; eas dare poſſem: ſine illis ad te ire neminem ſum paſſus.

VII. Sed non notum illud mihi ſemper eſſe poteſt: quando ad vos quiſq; proficiſcatur.

VIII. Deinde non, opinor, ignoras, cuiuſmodi eſſe tabellarij noſtri ſoleant, qui ad ſcribendum ſpacium concedunt nullum: petaſati accedunt: aut ad portam à comitibus, aut domi à ſuis, vel aliis à quibus ablegati, expectari ſeſe clamitant: vt ſaltem literas ſeſe petiiſſe affirmare queant: niſi etiam inaurati fuerint, eaſdem vel ei qui primò ſeſe offert, tradunt: vel in proximum flumen proiiciunt.

IX. Huc accedit, quòd eo ego ſum ingenio præditus, vt non temerè literas ſcribam, niſi quid offeratur, quod aut me ſcribere, aut eos, ad quos ſcribo, ſcire neceſſe ſit: præſertim ſi docti illi, aut publicis diſtricti negotiis fuerint.

X. Quamquam, cùm quoties ad me ſcripſeris, cogito, non ſanè video, quomodo meam in ſcribendo reprehendere negligentiam poſſis.

XI. Bis aut ter ad ſummum, eaſq; admodum breues literas à te accepi: vt, vel hoc nomine, æquum te mihi facilemq; futurum minimè dubitem.

XI. *Sed vt vt ſit: quia iſtud officij genus non diſplicere tibi video: operam dabo ſedulò, vt ſcribendo te expleam: & vel cum argumento, vel ſine argumento literas ad te mittam. Vale.*

Ita ergo leniter & modeſtè ad aliorum accuſationes atque expoſtulationes reſpondere poterimns, Quòd ſi verò paulò agere liberius, & dentatam, quod aiunt, inſtituere purgationem placuerit, exemplo eſſe nobis. lib. 7. epiſt. 27. poterit, in qua Balbo cuidam Cicero reſpondet, & iniuſtè ab eodem ſeſe accuſari oſtendit. Partes epiſtolæ ſunt: Exordium, reprehenſione inſtitutæ expoſtulationis conſtans. Refutatio, obiectorum criminum habens ſolutionem. Concluſio quæ adhibitæ in reprehendendo acerbitatis mitigationem atque excuſationem continet. Hanc igitur imitati amico reſpondebimus, qui de ingratitudine & iniuriis noſtris expoſtulationem per literas inſtituit, ad hunc modum.

I. *Miror cur per literas mecum expoſtules: & quidem ita expoſtules acerbè: cùm nec habeas, de quo verè accuſare me poßis: nec ſi haberes, ita mecum agere debebas.*

II. *Quid enim eſt quod tantam tibi in naſum bilem concinit?*

III. *Tuæ,*

III. *Tuæ,inquis,fortunæ author ſolus extiti:fore; ais, breui, vt tuo rurſus auxilio conſilioq; indigeam:multa addis alia, quæ tamen nemo, aut perquàm pauci credunt: quia longè rem ſe habere aliter norunt.*

IIII. *Sed ſint ſanè, quia ita vis, tua in me promerita,neq; nulla: neq; parua:qua obſecro in re ingratum me es aut immemorem expertus? quid eſt, quod non; quantum quidem per tenuitatem fieri meam potuit,abundè tibi ſit conceſſum?*

V. *Negas audere me in promouendis iјs, quos charos acceptósq; habes,offendere alios.*

VI. *Quaſi verò,non rogatus,vltrò ſeſe quis,ſine impudentiæ ſuſpicione inferre queat: aut maior eiuſcemodi in rebus gratiæ atq; amicitiæ, quàm publicæ vtilitatis ſit ratio habenda.*

VII. *Nihil ego iam ad reliqua accuſationis tuæ capita reſpõdeo. Teipſum quæſo pauliſper collige: locum non affectibus, ſed rationi & conſilio relinque:ſuperioris temporis memória acta recole: audi amicos & propinquos tuos: & quàm iuſtè honeſtéq; me accuſes,facilè intelliges.*

VIII. *Sed nimirum hoc me natum ſydere video: vt in vitæ meæ curſum, licet obſcurum, veluti ſcopum aliquem,coniectos oculos maleuoli habeant.*

IX. *Quibus tamẽ,aut aures accommodare, aut fidem habere temerè,alienum ab amicitia: contrarium pietati: repugnans grauitati eſt.*

X. *Quòd ſi certare cum iſtis hominibus criminationibus vellem: næ haberem quæ illis, & verè obijcerem.*

XI. *Verùm hic Gelo mihi ille apud Herodotum placet, qui monet, ne conuitiis, quaſi in ſymbolo congeſtis, reſpondeamus.*

XII. *Probatur & Socrates, qui ab amico admonitus vt calumniatori reſponderet, num, inquit, aſinus te ſi calcitraret, calce eum rurſus percuteres?*

XIII. *Et ſanè hac ipſa in reſponſione, libenter me tibi facilem præbuiſſem, ſi paulò tu mecum humanius egiſſes.*

XIIII. *Neque enim de te ego vnquam, niſi ſummo cum honore ſum locutus: neque in optatis quicquam habui magis, quàm vt meam tibi fidem, gratiq; animi probare memoriam poſſem.*

XV. *Neq; reprehendi vnquam quæ geſſiſti: ſed quæ ſcripſiſti nuper, laudare omnia non potui.*

XVI. *Si enim vera fuerunt ea, quæ tu mihi aliquando tribuiſti: cur nunc ita exagitas? Si falſa, quid tibi quæſo debeo?*

XVII. *Itaque æquiorem deinceps te mihi exhibebis.*

XVIII. *Quòd ſi verò, aliorum obtrectationibus irritatus, renunciare planè mihi amicitiam volueris: officij mei beneuolentiæq; fretus conſcientia, non ſane multum laborabo: idq; Agamemnonis vſur-*

vſurpabo : παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι, μάλιστα δ' ὁ μὴ πιστὰ ζῶς. Vale.

Si poſtremò etiam ad amici reſpondere purgationem neceſſe fuerit, exemplo nobis lib. 4. epiſt. 4. eſſe poterit, in qua Cicero Sulpitio literarum excuſanti raritatem & ſilentium reſpondet: atque ita reſpondet, vt purgationem partim admittat, partim improbet, ac reiiciat. Sententiæ hunc ad modum breuiter inſtituentur. *De ratione reſpondendi ad aliorum purgationes.*

I. *Accipio excuſationem tuam, qua es vſus, cur rarius ad me hactenus ſcripſeris: ſed propterea accipio, quòd non negligentia quadam, aut amicitiæ noſtræ obliuione: ſed tabellariorum, cùm penuria, tùm improbitate factum illud eſſe ſcribis.*

II. *Illam autem excuſationis tuæ partem, qua non facilè ad doctos & publicis diſtrictos negotijs literas te dare inanes affirmas: nec agnoſco, nec probo.*

III. *An quicquam obſecro, vel ſummis grauiſſimisq; in occupationibus, accidere mihi poſſe iucundius exiſtimas, literis ab amicis miſſis, quas ego, dum lego, ipſos mihi compellare videor.*

IIII. *Poſſúntne verò inanes atq; ieiunæ ab eo literæ expectari: qui ab ingenio eſt præclarè inſtructus: probè paratus à doctrina: viris literatis ac prudentibus familiaris: in vrbe deniq; ea nunc vi-*

uit, in qua, præter ſtudia, multa quotidie notatu relatuq́; digna, & audit, & videt?

V. *Sed ſubodorari me exiſtimo, quid anxium te maximè ſollicitumq́; reddat.*

VI. *Nihil niſi perfectum ingenio: politum doctrina: elaboratum induſtria, ſcribi à te oportere exiſtimas.*

VII. *Non equidem iſtud improbo. Sed eſſe etiã negligentiam quandam diligentem noſti, quæ non ingrata eſſe viris doctis ſolet.*

VIII. *Neque ad amicos literas dum exaramus, cura eſt & ſolicitudine magna opus: cùm etiam ipſe Cicero quodam in loco, in Epiſtolis, plebeio ſeſe cum amicis agere ſermone fateatur.*

IX. *Itaq; eius, quod diſcedens mihi recepiſti memor, quod tandem cumque in ſolum venerit, ad me perſcribes.*

X. *Neque ob dignitatis & fortunarum, neſcio quam acceßionem, alium me eſſe factum, exiſtimabis. Vale.*

DE QVERVLIS ET INDIGNATORIIS EPISTOLIS.

QVerulæ & indignatoriæ epiſtolæ, ὀ-δυρτικαὶ appellatæ à Græcis, ſunt: in quibus, vel de noſtris, vel noſtrorum, vel Reipublicæ miſeriis aduerſaque fortuna querelã inſtituimus: &, aut in nos ipſos: aut

aut aduerſariorum improbitatem ac malitiam:aut alia, culpam conferimus. Eſt autem epiſtolarum hoc genus non minus frequens & vſitatum,quàm ſuperius proximum: propterea quòd ſæpè non ſolùm de aliorum in nos noſtroſq; iniuriis conqueri; verùm etiam in miſerias ac calamitates noſtra culpa delapſi, querimoniam inſtituere, neceſſe habemus: vbi cauendum, ne dolenter, molliter & indecorè conqueramur: aut in nugis, ꝙ aiunt, Tragœdias agamus. Sunt autē argumenta hîc ſumenda ex quatuor locis: cauſis, adiunctis, comparatis, teſtimoniis. Et quidem cauſis, tùm efficientibus, tùm finalibus cōſideratis, oſtendendum: meritò nos dolere, queri,lamētari: quòd perpetratum ſit aliquid & cōmiſſum contra leges, mores, æquum ac bonum: & ſit commiſſum: non errore, nō caſu, non fortuna aduerſa, non neceſsitate, quæ, ſi non omninò,ſaltem aliqua ex parte excuſat: ſed data opera,conſultò, improbitate, odio, inuidia: vel etiam noſtra culpa, bonitate, credulitate: quæ omnia ad efficientem & impellentem cauſam referuntur. In finalibus verò indicandum damnum & detrimentum, quod noſtris

Vtilitas querularum epiſtolarum.

Argumenta in querelis vſurpanda.

infertur opibus, vitæ, famæ, exiſtimationi, quæ etiam vita ipſa charior eſſe debet. Ex adiunctis porrò circumſtantiæ petendæ: perſonarum, loci, temporis, modi, ipſarum rerum, quæ ad amplificandum ponderis momentique plurimum habere videntur: atque planum faciendum: offendi lædiq; eos, quorum chara & accepta eſſe ſalus atq; incolumitas debeat: & lædi ab iis, de quibus multis nominibus benè ſint præclareque meriti: & lædi eo potiſsimũ tempore, quo varia atq; magna immineant pericula: amicorum maximè præſidia requirantur: & lædi loco eo, quo minimè conueniebat: & lædi non vulgariter, ſed nouo quodam, & raro, & inuſitatò contumeliæ genere. Collatione etiam facta, & allatis aliorum iudiciis, aut rumoribus ſparſis illud ipſum, quo de querela inſtituitur, exaggerandum. Motus autem hiſce in Epiſtolis dominantur maximè, primùm miſericordia, excitata commemoratione incommodorum, quæ ἀναξίως præter meritum, non propter improbitatem, aut ſcelera aliqua ſint data. Deinde odium, quod ſignificatione, vel turpitudinis & dedecoris, vel damni concitatur, quo ſcilicet

Argumenta παθητικὰ mouentia.

is, de

is, de quo conquerimur, nos aut noſtros afficiat. Tum metus, qui malorum quadam oritur communione: quoties oſtendimus ea, quæ nobis acciderunt, etiam aliis contingere poſſe, niſi hominum petulantia atque improbitas coerceatur. Parum enim leuiterque aliena nos mala atque incommoda tangunt, niſi ad nos quoque aliqua pertinere ex parte oſtendatur. Ad ἤθη verò quod attinet, danda in ſcribendo opera eſt ſedulò, ne φιλαίτιοι καὶ μεμψίμοιροι, ad querelas atque accuſationes aliorum eſſe proni videamur. Quo vitio ſenes laborare Ariſtot. docet, propter animi anguſtiam: malorum metum: & quia omnis fragili in corpore odioſa eſſe offenſio conſueuit. Talis autem declinatur ſuſpicio tum, cùm ipſæ querelæ mitigantur, ac leniuntur: vel προσποιήσει ἀνάγκης vel neceſsitatis ſimulatione: προσώπου ὑπαλλαγῇ perſonę cõmutatione, quoties non nos conqueri, ſed alios oſtendimus, quorum iudicia & querelæ non omnino contemnendæ: vel ἀποσιωπήσει præciſione longioris conqueſtionis: vel ſignificatione firmitatis & conſtantiæ in rebus aduerſis: vel denique εὐχῇ voto, vt aliquando fortuna vti meliore liceat.

Argumenta ἠθικὰ concilianti a.

Collocatio querularum epiſtolarum. Horum verò ita collocatio inſtituenda: vt prima pars Exordium conſtet, vel querela & indignatione. lib. 8. epiſt. 12. lib. 10. epiſt. 1. lib. 12. epiſt. 3. lib. 16. epiſt. 11. lib. 14. epiſt. 3. 18. Vel laude ac commendatione conſtantiæ & fidei eorum, ad quos ſcribimus. lib. 12. epiſt. 2. lib. 14. epiſt. 1. Vel excuſatione raritatis, tarditatis, aut breuitatis literarum. lib. 9. epiſt. 11. lib. 14. epiſt. 2. 4. Vel cauſis & occaſione inſtitutę ſcriptionis. lib. 10. epiſt. 33. lib. 11. epiſt 12. lib. 14. epiſt. 11. 16. Pars altera Propoſitio, vel querelam ipſam continet. lib. 14. epiſt. 1. Vel adhortationem. lib. 10. epiſt. 1. Pars tertia Confirmatio inſtitutæ querelæ rationes, & eorum quæ excitare eandem poſſe videntur, amplificationem complectitur, petitam: aut ex adiunctis & circumſtantiis perſonarum. lib. 8. epiſt. 12. lib. 10. epiſt. 33. lib. 12. epiſt. 3. lib. 14. epiſt. 1. 2. 3. 11. Loci. lib. 7. epiſt. 28. lib. 10. epiſt. 1. lib. 14. epiſt. 1. Modi. lib. 6. epiſt. 7. lib. 8. epiſt. 12. lib. 10. epiſt. 1. 12. lib. 12. epiſt. 3. lib. 14. epiſt. 2. Rei. lib. 12. epiſt. 3. lib. 14. epiſt. 1. 2. Aut cauſis. lib. 5. epiſt. 9. lib. 7. epiſt. 28. lib. 10. epiſt. 23. lib. 14. epiſt. 1. 2. 3. 11. Aut cōparatis. lib. 6. epiſt. 7. lib. 10. epiſt. 1. Aut teſtimoniis, iudicio, querelis hominū & rumoribus

variis.

variis.lib.11.epiſt.12.Poſtrema Concluſio abſoluitur, vel exclamatione in rei indignitatē.lib.12. epiſt.3. Vel pollicitatione fidei ac beneuolentiæ. lib. 12. epiſt. 2. Vel excuſatione breuitatis literarum.lib.9.epiſt.11.Vel teſtificatione amoris,beneuolentiæ,ſtudij.lib.10. epiſt.23.33: lib.14. epiſt.3.4.Vel repetitione doloris & mœroris noſtri. lib.10. epiſt.33. lib.14. epiſt. 16. Vel προτροπῇ adhortatione,vt prouideatur, ne quæ eſſe iuſtæ querelæ, aut reprehenſiones poſsint.lib.11.epiſt. 12.lib.12. epiſt. 2.3. 8. Noſtras ob iniurias æquè atq; ſuas doleat eaſdemq; vlciſcatur amicus. lib.8. epi.12.Nobis in amore mutuò reſpōdeat. lib.9. epiſt.11.lib.11. epiſt.10. Valetudinis curam gerat diligentem. lib. 14. epiſt. 9. lib. 16. epiſt. 11. Sæpè ad nos ſcribat. lib. 14.epiſt. 1.2.3.18. Sunt autem res & materiæ, de quibus querelæ inſtituuntur Ciceronis in Epiſtolis, multæ atque variæ. *Materię querularum epiſtolarum.* Querelæ de exilio. lib. 14. epiſt. 1. 2. 3. 4. Aduerſa liberorum valetudine. lib. 14. epiſt. 9. 18. Obitu eorundem. lib. 9. epiſt. 11. Fortuna miſera & indigna. lib. 5. epiſt. 9. lib.14. epiſt.11. Ingratitudine hominum. lib.8.epiſt.12.lib.14.epiſt.16. Offenſione magnorum & potentum. lib. 6.

epiſt. 7. Reipublicæ ſtatu miſero ac perturbato. lib. 7. epiſt. 28. lib. 12. epiſt. 4. Tyrannide, crudelitate, & immoderata potentia. lib. 10. epiſt. 1. lib. 12. epiſt. 2. 3. 9 Renouato bello. lib. 12. epiſt. 8. 9. Rei bene contra hoſtes gerendæ neglecta occaſione. lib. 11. epiſt. 12. lib. 12. epiſt. 8. 9. Sunt huius generis etiam in Epiſtolis ad Atticũ exempla aliquot egregia, maximè lib. 11. quas tempore exilij ſui Cicero ſcripſit, & in quibus ſtatum ſuum miſerabilem deplorat: eiuſdem quoque culpam, partim in aduerſariorum improbitatem, partim credulitatem ſuam nimiam trāsfert. Deinde lib. 3. epiſt. 4. vbi Cicero de proſcriptione ſua conqueritur: & 6. eiuſdem, in qua ægrè hoc admodum moleſteque fert, quod ſummis ſuis in doloribus ac miſeriis Tarenti Atticum non viderit: nec eius vti conſilio potuerit: & 26. in qua lamentari ſeſe meritò ſcribit, proptérea quòd periiſſe ſeſe funditùs intelligat: & lib. 7. epiſt. 8. vbi de Pompeij in gerendo bello negligentia, querela inſtituitur: & 15. eiuſdem, in qua apud Pompeium conqueſtione Cicero vtitur, quòd planè interceptus ab hoſtibus videatur. Huc etiam epiſtola ad Octauium ſcripta pertinet:

net: licet nõ Ciceronis illa, ſed declamatoris alicuius eſſe videatur. Nos exercitij gratia duo exempla proponemus: & Ciceroniana ſecuti veſtigia oſtendemus, primùm quo pacto de fortuna noſtra aduerſa, & calamitate apud parentes aut amicos: deinde aliorum vitiis atque improbitate apud alios querela inſtituenda. Prioris generis exemplum nobis ſuppeditat lib. 14. famil. epiſt. 3. in qua primò à querela Cicero orditur. Deinde calamitates atque miſerias ſuas mirè exaggerat. Tum ad varia literarum vxoris capita reſpondet. Poſtremò ad ſcribendum eandem hortatur. Hanc imitari poterimus, quoties apud parentes aut cognatos de periculis & miſeriis noſtris conqueri neceſſe habemus hoc modo. *Imitationis exempla.*

I. *Accepi tuas & propinquorum meorum literas, quas ego lachrymis prope deleui.*

II. *Conficior enim ac ferè contabeſco mœrore, optatiſſime ac dulciſſime pater: nec mea me magis aduerſa affligit fortuna: quàm tuus noſtrorumq; dolor excruciat.*

III. *Et quidem hoc te ſum miſerior, qui tamen eſſe miſerrimus videris, quòd mihi ipſi non aliis imputanda culpa eſt.*

IIII. *Mei fuit officij, vel intempeſtiuam & pe-*

riculoſam peregrinationem hoc tempore intermittere: vel cautius eandem inſtituere: videre denique cui fiderem.

V. Propter hoc factum, & dolore; & pudore conficior. Dolore, quòd ſummi mœroris ac triſtitiæ tibi author ſum: pudore, quòd tibi parenti optimo, amicis itidem & cognatis fideliſsimis minimè obtemperaui.

VI. *Mihi ſanè ante oculos omnium veſtrum mœror verſatur: maximè verò tua me ætas affligit, quæ iam ingraueſcens atq; inclinata fulciri à me atq; recreari debebat.*

VII. *Spes verò ſalutis per quàm monſtratur exigua: cùm turbarum, tumultus, belli plena ſint nunc omnia: animi magis quàm vnquam antè exacerbati.*

VIII. *Faciam tamen ea quæ iubes: ijs etiam gratias agam, quibus ſalutem meam curæ cordiq; extitiſſe ſcribis.*

IX. *Quod verò addis, te, ſi aliter obtineri res nequeat, ad me venturum: non profectò video, quomodo fieri illud tutò commodeq; queat.*

X. *Eſt iter non benè ſolùm longum, verùm etiam periculoſum, teq; domi manere, & deprecatorias à principibus & alijs impetrare literas, multò mihi vtilius erit.*

XI. *Eas ſi fuero nactus, non dubito, quin breui ad vos rediturus ſim.*

XII. Sin

XII. *Sin autem: ſed plura non ſcribam, ne te mœſtum iam, proh dolor, antè ſatis, magis excruciem.*

XIII. *Ex primis verò, vel ſummum ſecundis literis, quid ſpei ſit reliquum, intelligere potero.*

XIIII. *Itaq; primo quoq; tempore ad me, optatiſſime ac ſuauiſſime parens ſcribes: & ex me omnes noſtros ſalutabis, quibus, quo minus ſcribam, incredibilis dolor facit.*

XV. *Et hæ ipſæ lituræ, quas meis in literis deprehendis, lachrymis factæ, triſtitiæ meæ teſtes eſſe poterunt. Vale.*

Poſterioris generis exẽplum erit. lib. 11. epiſt. 12. in qua Cicero apud Caſsium de rei benè contra Antonium gerendæ, neglecta occaſione, conqueritur: ſed modeſtè & perſonæ facta commutatione: ne Caſsium offendat. Abſoluitur ea primum Exordio, q̃ inſtitutæ querelæ cauſas & occaſiones continet. Deinde querela ipſa, admodũ artificiosè tecteq; facta: cùm non ſe Cicero in Bruto aut Caſsio aliquid deſiderare: ſed populum rumuſculis quibuſdam alium fieri quotidie, & de Caſsij atq; Bruti conqueri timiditate ac negligentia ſcribit. Poſtremò cõcluſione παρορμητικῆ adhortatoria, ne quid committant, vt iuſtè inſtitui querelæ videantur,

Hanc ergo imitati epiſtolam de rei benè gerendæ neglecta occaſione apud amicum queremur hoc modo.

I. *Plures ego iam diuerſis ex locis, ſed eiuſdem propè argumenti accepi literas.*

II. *Ex tua verò epiſtola, & ex ſermone illius, qui eam mihi tradidit, non modò non ſedatos extinctosq́; tumultus, verùm renouatos planè video.*

III. *Neque dubium mihi eſt vllum, quin pro ſingulari tua prudentia ipſe intelligas, ſi reſpirare & colligere ſeſe hoſtes cœperint, præclara illa in miſeros oppreſſosq́; tyrannide promerita, interitura eſſe omnia.*

IIII. *Ita enim, & rumore, & literis nunciabatur, paucos adhuc atq; eos quidem inermes, opprimi delerıq́; potuiſſe antè facilè, quàm aut ſeſe colligerent, aut armis cæterisq́; rebus inſtruerent.*

V. *Quòd ſi autem ea nunc illorum eſt conditio, vt, quẽadmodum ex amico tuo audiebam, ſine periculo magno reſiſti ipſis amplius nequeat, iam maius opinor, quàm vnquam ante metuendum periculum videtur: longeq́; fuiſſet ſatius, arma contra ipſos nunquam ſumere.*

VI. *Itaque & multorum iam ſunt animi mutati: nonnulli etiam queruntur, quòd, aut auaritia, aut ebrietate impediti, optimas occaſiones neglexeritis: neq; eam celeritatem adhibueritis, quæ eiuſcemodi requiri in rebus ſolet.*

VII. Om-

VII. *Omnino hæc populi eſſe natura conſueuit: vt leuiter laudet & reprehendat: confidat ac metuat; vtq; ventis agitata vnda, rumuſculis motus, in tranſuerſum rapiatur.*

VIII. *Suæ etiam in iis maximè libertate abutatur, quorum opera atq; laboribus eandem eſt conſecutus.*

IX. *Sed & idem, vt quodam in loco politicus optimus Cicero ſcribit, magiſter eſt maximus.*

X. *Itaq; eius iudicium non vſque adeò contemnendum: verùm opera danda eſt: ne quæ ab illo iuſtæ moueri querelæ poſſint.*

XI. *Quid in aliis hactenus populus deſiderarit, te cogitare malo, quàm me apertè ſcribere. Vale.*

Huncigitur in modum querelæ, cùm de noſtris miſeriis & calamitatibus, tùm verò aliorum vitiis inſtitui poterunt. Reſtat de reſpondendi via ac ratione vt agatur. Quemadmodum enim neceſſarium eſt, vt conqueſtionibus atque lamentationibus apud amicos vtamur, inque illorum quaſi ſinus dolores noſtros fundamus: ita quoque methodus tenenda, qua ad aliorum querelas commodè reſpondendum ſit. Neq; tamen de hac ipſa prolixè vt agamus, neceſſarium eſſe videtur; cum eadem propè hîc ſit reſpondendi ratio, quæ expoſtulationum fuit. Vel enim

Argumenta in reſponden do ad aliorũ querelas obſeruanda.

ſimpliciter negatur id, de quo nobiſcum amicus conqueritur: vel in rem, aut perſonam aliam culpa transfertur: vel illud ipſum, vt rectè iuſtè honeſteq; factum, defenditur: vel ad confeſsionem nudam atq; veniæ deprecationem confugitur. Itaq; ex iiſdem erunt locis argumenta hîc ſumenda, quos adhibendos eſſe monuimus in reſponſionibus ad aliorum expoſtulationes inſtitutis: ita quidē, vt in negatione ſimplici cauſæ impellentes ac finales: in adiunctis circumſtantiæ rerum, perſonarum, locorum, temporum conſiderentur: in defenſione legitima adhibeantur, cauſæ, teſtimonia, exempla etiam eorum, qui idem, ſine tamen querela aut reprehenſione vlla fecerint: in μεταστάσει culpa transferatur in ipſum qui de nobis queritur, aut perſonas alias, aut neceſsitatem, fortunam aduerſam, ignorantiā, imprudentiam, locum, tempus, & his ſimiles circumſtantias alias: in deprecatione confugiatur ad ingenuam confeſsionem, pœnitentiam, delicti conditionem, hominum imbecillitatem, commendationem cùm noſtram, tùm eius ad quem ſcribimus: exempla deniq; illorum, qui ſimilibus, vel etiam grauioribus in delictis ſint

Argumenta in reſpōdendo ad aliorū querelas obſeruanda.

ſint veniã conſecuti. Non diſsimilis quoque hîc animorum conciliandorum & mouendorum inſtituenda ratio erit. De miſeriis verò & calamitatibus ſuis querimoniam amicus cum inſtituit, ea quæ de conſolatoriis epiſtolis attulimus, adhiberi poterunt. Partes huius generis reſponſionum potiſsimum ſunt quatuor: prima Exordium conſtans, vel ſignificatione doloris, ex amici querelis percepti. lib. 3. epiſt. 10. Vel excuſatione breuitatis literarum. lib. 3. epiſt. 7. Vel occaſione & cauſa inſtitutæ purgationis. lib. 3. epiſt. 8. lib. 11. epiſt. 27. Vel reprehenſione eius ad quem ſcribimus. lib. 5. epiſt. 20. Vel laude & commemoratione amoris atq; beneuolentiæ amici. lib. 7. epiſt. 24. lib. 11. epiſt. 13. Pars altera Propoſitio eſt quę habet: aut ὑπόσχεσιν pollicitationẽ purgationis. lib. 3. epiſt. 7. lib. 7. epiſt. 24. lib. 11. epiſt. 13. Aut ἄρνησιν inficiationem eius, quod obiicitur, nudam atq; ſimplicem. lib. 11. epiſt. 27. Aut obteſtationem grauem, & declarationem ſtudij, officij, beneuolentiæ. lib. 3. epiſt. 10. Aut difficultatis in reſpondendo ſignificationem. lib. 3. epiſt. 8. Pars tertia Contentio, purgationem ipſam complectitur factam,

Collocatio in reſpondendo obſeruanda.

vel ἀρνήσει negatione. lib. 3. epiſt. 7. 8. 10. Vel μεταστάσει cauſæ remotione in ignorantiam. lib. 3. epiſt. 10. perſonas alias. lib. 3. epiſt. 7. 10. lib. 7. epiſt. 24. lib. 11. epiſt. 13. 27. Ipſum qui de nobis conqueritur. lib. 3. epiſt. 8. lib. 5. epiſt. 20. Locum. lib. 3. epiſt. 7. Tempus. lib. 3. epiſt. 7. lib. 7. epiſt. 24. Inſtrumenta. lib. 11. epiſt. 13. Vel ἀντιλήψει defenſione abſoluta. lib. 3. epiſt. 7. 8. lib. 5. epiſt. 20. lib. 11. epiſt. 27. Pars quarta & poſtrema Concluſio abſoluitur: aut ὑποσχέσει delatione beneuolentiæ, ſtudij, officij noſtri. lib. 3. epiſt. 7. 10. lib. 11. epiſt. 13. Aut excuſatione & mitigatione libertatis, vel acerbitatis in reſpondendo. lib. 3. epiſt. 7. lib. 5. epiſt. 20. Aut calumniatorum & maleuolorum reprehenſione. lib. 7. epiſt. 24. Aut προτροπῇ adhortatione, vt excuſationem noſtram admittat amicus. lib. 11. epiſt. 27. Vel non ſiniſtras ſuſpiciones concipiat, & calumniis credat. lib. 3. epiſt. 10. Vel ſcribat ad nos ſæpè. lib. 3. epiſt. 8. Sunt autem quæ huius generis familiaribus in epiſtolis Ciceronis reperiuntur, res & materiæ variæ. Reſponſiones ad querelas de non exhibito honore. lib. 3. epiſt. 7. Legatione impedita. lib. 3. epiſt. 8. 10. Contracta cum inimico affinitate. lib. 3. epiſt. 10. Ra-

Materiæ reſponſionum ad querulas epiſtolas.

10. Rationibus fide & diligentia bona non relatis.lib. 5. epiſt. 20. Amici defenſione neglecta. lib.7.epiſt.25. Omiſsis occaſionibus rei præclarè contra hoſtes gerendæ. lib. 11. epiſt. 13. Mentione parum honorifica, & reprehenſione officiorum aliis præſtitorum. lib. 11.epiſt. 27. Quam nos poſtremam exercitij cauſa imitari conabimur: quia pulcherrima eſt & artificioſsima: hoc etiam tempore ad vſum transferri commodè poteſt, propterea quòd ſæpè accidit, vt contra amicos noſtros protuliſſe aliquid dicamur, quod illorũ famæ atque exiſtimationi præclaræ obſtare videtur. Tractatio epiſtolæ illius conſtat, primùm exordio, quo purgationis inſtitutæ occaſio indicatur: beneuolentiæ etiam conciliandæ ergô, amoris cauſæ plurimæ recénſentur: Deinde propoſitione ipſius excuſationis, ἀρνήσει negatione facta. Tum contentione, in qua & querelarum cauſæ exponuntur: & earundem ſubiungitur purgatio ἀρνήσει partim negatione: partim ἀντιλήψει qualitate abſoluta facta. Poſtremò concluſione, quæ obliquam adhortationem & petitionem habet, ne ſuſpiciones concipiat ſiniſtras, aut fidem calumniis adhibeat.

Imitationis exempla.

His nos retentis partibus ei reſpondebimus, qui conqueſtus eſt nos in colloquio quodam parum de ſe locutos honeſtè fuiſſe; qualdam etiam actiones improbaſſe hoc modo.

I. *Nondum affirmare poſſum, plus ne voluptatis & lætitiæ, an doloris atq; triſtitiæ communis noſtri amici aduentus mihi attulerit.*

II. *Cum enim Argentinam benè veſperi ex peregrinatione longa rediiſſet: ad me, cum adhuc de via languere videretur, venit.*

III. *Quem cum pro more interrogarem, ecquid noui ille ſecum afferret, commodè ne valeres: quo aliorum eſſent amicorum res loco: tuam ad me querelam detulit.*

IIII. *De qua breuißimè reſpondere conabor, ſi paucula quædam præmiſero.*

V. *Cum pueritiæ memoriam vltimam recordor, te antiquiorem amicum neminem reperio.*

VI. *Sed nolo ego vetuſtate amicitiam noſtram, ſed mutua potius beneuolentia metiri: cum illa communis eſſe queat multis: hæc verò paucorum atque vera veræ conſtantisq; amicitiæ cauſa ſit.*

VII. *Amore te ſum complexus, quo die te noui, meq; abs te vicißim amari ſum arbitratus.*

VIII. *Tua deinde peregrinatio eaq; ſatis longa ac diuturna, genus præterea vitæ diuerſum, conſuetudinem quidem noſtram & familiaritatem diremerunt:*

merunt: at animorum atque voluntatum diuellere coniunctionem non potuerunt.

IX. *Neq; enim tu ſolùm me beneuolentia ſingulari es proſecutus: verum etiam tua commendatione effeciſti, vt ij, qui authoritate atq; potentia valent, & me diligerent, & in ſuis haberent.*

X. *Deinde recenti adhuc in memoria habeo: vt ex itinere domũ meam veneris: vt horas bene multas ſuauiſsimis colloquiis tuis mecum conſumpſeris: vt ad ea ſtudia excitaris, in quibus nunc verſor: vt munus atque officium, quo fungor, mihi comparaαris.*

XI. *Quorſum verò inquies, hæc tam altè repetita amicitia? ecquid beneficiorum iſta ſibi vult commemoratio?*

XII. *Vt intelligas mirari me, & mirari vehementer, te, cui hæc nota ſunt omnia, credere potuiſſe, quicquam de te parum commodè atq; honorificè, aut ſenſiſſe me aut locutum eſſe.*

XIII. *Præter enim illa, quæ modò recenſui manifeſta, teſtata, illuſtria: etiam alia ſunt minus aperta, quæ ad conſtanter te amandum me impellunt: ego verò verbis aſſequi vix poſſum: fides in amicitia, morum amabilitas, candor, integritas, humanitas, benè de omnibus merendi prona propenſaq; voluntas.*

XIIII. *Itaq; ad querelas nunc tuas reuertor.*

XV. *Ego te in amicorum gratiam feciſſe ali-*

quid, quod in bonorum virorum incurrere repre-henſionem poſſet: primò non credidi: deinde ſi credidiſſem, non profectò ſine cauſa, iſtud abs te fuiſſe factum arbitrarer.

XVI. *Sed nimirum tua & virtus eximia, & natura præſtans, & bona alia, quibus longo poſt te interuallo plurimos alios, relinquis, faciunt, vt quicquid, vel dicas, vel facias animaduertatur ab omnibus: inuidia autem & maleuolentia quorundam durius, quàm ſunt à te facta, accipiantur & proferantur.*

XVII. N*oſti enim, vt alia nunc mittam, illud viri, &* Poetæ *optimi:*

Obuia res odiis, quanquam liberrima virtus,
Et benè qui meruit, præmia rarus habet.
Inuidia premitur, quem nulla infamia taxat,
Et cui iura fauent, vis inimica nocet.

XVIII. *Et vt eos qui in ſole ambulant vmbra comitatur: ita fœlicitatis comes inuidia eſt: quæ tamen, ſi, vt præclarè* Cicero *ſcribit, virtute fuerit parta, gloria, non inuidia putanda eſt.*

XIX. *Equidem ſi tale quid de te audio, tam illud defendere atq; excuſare ſoleo, quàm meam ſcio famam & exiſtimationem à te contra maleuolos defendi.*

XX. D*efenſio autem ita à me inſtituitur: vt vel liquidò negem ea, quæ de te ſparguntur: vel non ſine graui cauſa, aut etiam rectè iuſteq; facta contendam.*

XIX. *Sed*

XXI. *Sed te interim hominem prudentem non fugit in vtramque hic partem de tuo diſputari officio poſſe.*

XXII. *Vel in eam, qua ego vti ſoleo, laudandum te, non reprehendendum eſſe, quòd amicos officiis proſequaris, cum amicitiæ illud ſit proprium, facere quæ bono eſſe amicis videntur.*

XXIII. *Vel in eam, qua alij contendunt, honeſtatem & iuſtitiã amicitiæ eſſe anteponẽdam, primamq́; hanc in eadem legem requiri: vt neq; rogemus ab amicis res turpes: neque rogati faciamus.*

XXIIII. *Ex hac ſententiarum collatione velim ad te ea quoq; eſſe perſcripta quæ pro te dixi.*

XXV. *Neminem enim fore exiſtimo, qui hoc affirmare verè poßit quicquam in medium me vnquam protuliſſe, quod tuæ detrahere aliquid famæ atq; exiſtimationi præclaræ queat.*

XXVI. *Itaq; gratiam amico noſtro habeo, qui de tuis querelis certiorem me reddidit, & author harum literarum extitit.*

XXVII. *Quibus ſi fidem habueris, erit quod mihi gratuler, pluris te purgationem hanc meam, quàm maleuolorum calumnias facere.*

XXVIII. *Sin minus: omnis me humanitatis, officij, fidei expertem iudicabis.*

XXIX. *Quod & noſtra ab amicitia alienum: & te indignum; & verò mihi tam eſt graue futurum, quàm quod grauißimum. Vale.*

Reſponſionis ad aliorum excuſationes exemplum.

Quod ſi verò quis aliorum reſpondere excuſationibus ac purgationibus velit, elegans exemplum lib. 11. epiſt. 28. reperiet, in qua Ciceroni Matius reſpondet. Partes illius ſunt quatuor: Exordium, in quo de Ciceronis amore atq; beneuolentia ſibi Matius gratulatur eundemq; laudat, quod non temerè aliorum querelis fidem adhibuerit. Propoſitio, quę reſponſionis atque refutationis ὑπόσχεσιν pollicitationem habet. Refutatio ipſa, ἀντιλήψει facta. Rectè enim ſeſe Matius Cæſaris, vtpote viri de ſe & aliis non malè meriti, deploraſſe mortem oſtendit. Concluſio gratiarum actione conſtans & laude Trebatij, qui querelam ad Ciceronem detulerat. Quia ergo artificioſa hæc atque erudita eſt epiſtola, eam imitati ſuperioribus proximis literis excuſatoriis reſpondebimus hoc modo:

I. *Magna me tuæ literæ lætitia ac voluptate affecerunt: quòd ex iis, quàm eſſes in me animatus præclarè, cognoui.*

II. *Etſi enim de eo dubitare ego hactenus, nec potui, nec debui: tamen quia in aliis quantum poſſint calumniæ, eram expertus, non parum metui, ne, quæ aliorum à me voluntates abalienarunt conuitia, te quoq; mutarent.*

III.

III. *Quod quia factum nõ eſſe reipſa iam comperio, mihi ſanè gaudeo: tibi gratias ago maximas.*

IIII. *Interim tamen breuiter, quæ mihi ſunt vitio data, exponam: & quod antè feciſſe te intelligo, ad hæc eadem reſpondere paucis conabor.*

V. *Nota enim mihi ſunt ex amicorum cùm literis tùm relatu ea, quæ criminandi cauſa mihi à maleuolis nonnullis obiiciuntur.*

VI. *Vitio mihi datur: quod in prouehendis amicorum commodis ſim nimius: quòd fortunam illorũ aduerſam iniquè feram: quod honeſtatis minorem, quàm vel amicitiæ, vel neceſſitudinis, vel vtilitatis quoq; rationem habeam.*

VII. *Quaſi verò amicorum ego actiones parum honeſtas vnquam probarim: aut ſi bonam quorundam colligere gratiam: aut de opibus cumulandis ſolicitus eſſe voluiſſem: non aliæ, & quidem longè meliores iam dudùm mihi oblatæ occaſiones fuerint.*

VIII. *Rem meam familiarem, non augeri, ſed diminui eiuſcemodi amicorum defenſionibus ſi affirmarem, nihil profectò à veritate alienum ſcriberem.*

IX. *Odium verò quàm in me acerbum concitem, vel hominum querelæ iſtæ graues ſatis oſtendunt.*

X. *Et nimirum eò ſuperbiæ nonnulli deſcendunt: vt, quod etiam ſeruis liberum eſſe ſolet, eorum me*

miſerias atque calamitates deplorare nolint, quos priuatas illi ob cauſas odiſſe ſemel cœperunt.

XI. *At laterem, quod aiunt, hi lauant: nullius apud me, vel autoritas, vel potentia tanta erit, quæ ab officio me & humanitate auocet.*

XII. *Verum maior honeſtatis, quàm amicitiæ inquiunt ratio habenda. Eſto. At quid verè ſit honeſtum, etiam atque etiam conſiderandum eſſe cenſeo.*

XIII. *Eius me perquàm ſtudioſum extitiſſe ſemper, niſi anteacta mea vita oſtenderit, verbis vt euincam non laborabo.*

XIIII. *Nulla mihi cum improbis communio fuit & familiaritas tum, cum ætas errorem excuſare meum poſſet.*

XV. *Neque nunc igitur meipſum retexam, aut ingenium mutabo.*

XVI. *Neque ego quicquam facio aliud, niſi quod amicorum caſus acerbos doleo: exiſtimationem ſartam, quod aiunt, tectamq; conſeruare cupio.*

XVII. *Nec ſi quid facerem aliud, illud ipſum negarem, aut occultarem: ne cui & in peccando malus, & leuis in diſſimulando viderer.*

XVIII. *Negotia ſi quæ amicorum curaui alia, priuata fuerunt, neque petentibus denegari potuerunt.*

XIX. *Veni, id quod maleuolos maximè carpere video, ſæpe ad amicos ſalutandi gratia.*

XX. *Sed*

XX. *Sed quæ hæc obſecro ſuperbia eſt, alios prorſus ſuum ad nutum viuere; compellationibus, colloquiis, conuerſationibus interdicere velle eorum, quos odio illi proſequuntur.*

XXI. *Sed non dubito, quin, aut vitæ meæ modeſtia ſatis in poſterum cõtra rumores falſos ſit valitura: aut etiam ij qui ita deformare iam me conantur, mei ſimiles amicos expetituri.*

XXII. *Interim pro præſtitis humanitatis officijs gratias tibi ago: vt & amico noſtro, q. de querelis certiorem te reddidit, atq; effecit, vt patronum atq; defenſorem innocentiæ meæ inueniret. Vale.*

DE COMMINATORIIS EPISTOLIS.

Comminatoriæ ἀπειλητικαὶ epiſtolæ ſunt, in quibus minas denunciamus, & metum atque terrorem incutimus iis, qui, aut facinus aliquod improbum commiſerunt: aut niſi prohibeantur commiſſuri videntur. Et eſt hoc quoque epiſtolarum genus longè vtiliſsimum, propterea quod effręnata improbitas, temeritas, audacia alia coerceri compeſciq; ratione non poteſt, niſi metus iniiciatur, & pœnarum inſtituatur denunciatio. Itaque vſurpari illud poterit, à Theologis, magiſtratu, præceptoribus, parentibus,

maximè verò iis qui in principum, aut Rerumpub. cancellis viuunt, & ad ſubditos, vel alios literas ſcribere minaces neceſſe habent. Sunt autem ſententiæ hîc adhibendæ, quæ animi iuſtam commotionem atq; iram declarant, & factum ipſum, ob quod minæ inſtituuntur, exaggerant & amplificant: eæq; tùm ex cauſis, tùm adiunctis petendæ. Nam & rei turpitudo, damnum, iniquitas dolorem concitat atq; ad minas compellit: & contumeliæ, maledicta, impeditiones ſtudiorum, laborum, voluntatum, honorũ, & id genus alia, amplificantur: notatione, vel perſonæ, partim noſtræ, quæ eſt læſa, partim eius, cui nos ſuccenſemus ác minamur: vel ἔθους modi agendi: vel χρόνου temporis: vel aliarum circumſtantiarũ. Ad motus verò quod attinet, quia apud improbos, imprudentes, & audaces hoc vſurpari genus epiſtolarum ſolet: contraria hîc erunt remedia adhibenda, & audaciæ atque confidentiæ terror atque metus opponendus: qui excitatur προαναφωνήσει ſignificatione ac denunciatione malorũ, cùm aliorum, tùm eorum quæ nos perdunt aut dolore afficiunt: & ſunt vicina ac propinqua, non remota: & e-

Sententiæ comminatoriarum epiſtolarum.

Sententiæ παθητικαὶ mouentes.

& eiuſcemodi, vt vel nunquam, vel ſumma emendari atq; ſarciri cum difficultate queant. Sed neque tertium ſententiarum genus, ἠθικὸν moratum & concilians eſt omittendum: verum opera danda, vt in comminatione ἐπιείκεια ęquitas & moderatio adhibeatur: ne veteratoriè agere, ſed ſumma eius adduci improbitate atq; impudentia videamur, cui pęnas denunciamus. Diſcrimē enim vt in aliis: ita hac quoq; re inter poëtas eſt & oratores. Poëtæ in minimis rebus ſæpè grauiſsimis cōminationibus atq; execrationibus vtuntur, qualis illa eſt Catulli:

Sententia ἠθικαὶ moratę & conciliantes.

Non equidē dubito, quin primū inimica bonorū
Lingua execta auido ſit data Vulturio.
Effoſſos oculos vorat atro gutture coruus,
Inteſtina canes: cætera membra lupi.

At qui epiſtolas ſcribunt comminatorias, moderationem adhibent: & nec leui molliq; brachio cum improbis agunt: nec etiam nimis iiſdem iraſcūtur & comminantur. Collocatio verò & tractatio ita inſtituitur: vt in exordio crimē ipſum cum querela & indignatione proponatur: parte altera illud amplificetur atque exaggeretur: poſtrema, νουθετήσει adhortatione, aut reprehenſione & cōminatio,

Collocatio et tractatio minatoriarum epiſtolarum.

Res & materiæ cōminatoriarum epiſtolarum. ne acri abſoluatur. De exemplis porrò & rebus ac materiis, quæ in comminatoriis eiuſcemodi epiſtolis tractantur, ſeorſim vt agamus, neceſſe minimè habemus; propterea quod ex reprehenſoriis, expoſtulatoriis, querulis illæ ſumi poſſunt: quæ ita à Cicerone inſtitui ſolent, vt territationes & comminationes in fine habeant. Sunt etiam egregiæ multæ huius generis epiſtolæ in iis, quas Leonis pontificis nomine ad diuerſos Bembus ſcripſit. Vt tamen etiam hîc imitatio aliqua proponatur. lib. 5. epiſt. 1. deligemus, in qua Ciceroni Metellus ob fratrem iniuria affectum minatur: & quidem in exordio ipſum factum cum indignatione ac querela proponit. Pòſt profert ea quæ ab iniuria atque contumelia auocare meritò Ciceronem debuiſſent, & factum amplificant. Poſtremo eidem minatur, ac leuitatem atque inconſtantiam obiicit. *Imitationis exemplum.* Hanc igitur ſecuti magiſtratus nomine pœnas non obedientibus ſubditis denũciabimus hoc modo.

I. *Exiſtimaramus, pro debita magiſtratui reuerentia, noſtráque verè paterna in vos beneuolentia ac clementia, neque noſtrum apud vos dictum ludibrio habitum iri: neque quos plenis ad vos cum mandatis*

mandatis ablegaueramus, ita ſpretos contemptóſqueſore.

II. *Quos ſi parum ipſum legationis ius, quod ſanctum apud omnes inuolatumq́; fuit ſemper, defendebat: vel magiſtratus authoritas & ius illud iurandum, quo deuincti nobis obligatiq́; eſtis ſubleuare debebat.*

III. *Nunc videmus illos contumelia, & quidem inſigni affectos: mandata ſimul edictaq́; noſtra rideri ac contemni: noua quædam & inuſitata tentari ab ijs, qui pietatis hactenus atq; obſequentiæ laudem habuerunt.*

IIII. *Quæ quoniam nec iure vllo: nec ratione bona: nec maiorum veſtrorum exemplo fiunt: non erit mirandum, ſi breui vos pœnitebit.*

V. *Quod enim noſtri eſſe muneris atque officij videtur, faciemus: & quam legatis noſtris intuliſtis iniuriam, ea, qua par eſt, ſeueritate vlciſcemur: atque ita vos puniemus, vt reuerenter deinceps ſubmiſſeq́; vos gerere diſcatis: exemplo quoq; ſitis alijs, ne quid ſuperbè atq; ſeditioſè contra magiſtratus ſuos moliantur.*

Iam verò, ſi cui etiam reſpondere ad minaces eiuſcemodi epiſtolas placeat: egregium exemplum. lib. 5. epiſt. 2. lib. 11. epiſt. 3. reperiet: in quarum illa Metello Cicero: hac, Brutus & Caſsius Antonio reſpondent: atque ita reſpondent, vt plu- *Reſpondendi ad aliorum literas minaces ratio.*

ris ſe patriæ libertatem, quàm Antonij, vel minas, vel gratiam facere oſtendant. Itaq; imitari eandem conabimur. Partes illius tres ſunt. Prima Exordiũ, ἐπαναλήψει repetitione conſtans argumenti literarũ Antonij. Altera ἀνασκευὴ refutatio eſt in qua Brutus & Caſsius Antonij minas iniuſtas eſſe, & non à ſeſe vſque adeò metui indicant. Poſtrema concluſio admodum ἠθικῶς morata eſt, adhortatione atq; voto, facta. Nam & Antonium hortantur, ne quid contra Rempublicam tentet: & ſimul Deos rogare ſeſe affirmant, ne conſilia, quæ tractet, vel ipſi Antonio, vel Reipublicæ ſint pernicioſa. Sententiæ tales eſſe poterunt.

Reſponſionis ad minaces epiſtolas exẽplum.

I. *Legi tuas literas ſuperbas admodum & minaces, miniméque aut homine literato, aut amico dignas.*

II. *Nihil ego vnquam à me dictum factúmue memini, quod eſſet contra, vel rem, vel exiſtimationem tuam.*

III. *Neq; etiam miraturum te arbitratus ſum, ſi amicus, & amicus non nouus, ſed vetus ac probatus, liberè, cãdidè, apertè de ijs te commonefaceret, quæ ad ſalutem tuam & famã pertinere videntur.*

IIII. *Quòd ſi ægrè moleſtéq; fers, auſum iſtud me facere: etiam mihi concede, vt doleam atq; indigner,*

gner, te adeò malè ac ſiniſtrè amicorum admonitiones interpretari.

V. Nam de ſermonibus neſcio quibus tuum in nomen emiſsis, quod te queſtum eſſe inficiaris: tibi ſanè credo: ſed ſimul quoq; feciſſe me illud nego, & conſtanter nego.

VI. Interim te miror, cùm hæc reticueris, non potuiſſe affectus tuos reprimere, aut cohibere iracundiam: quin mihi de literis nuper ad te datis obijceres.

VII. Illud verò quónam ſit accipiendum modo, cogita: non licere cui, honeſtatis gratia, liberè per literas amicum monere, caſtigare, reprehendere, quin illicò malè audiat & pœnam expectare cogatur.

VIII. Quia ſcilicet ventis nunc vteris admodum ſecundis, & ad voluntatem fluunt omnia: quia potentiá vales: quia multorum collectam gratiam habes: quia opibus polles ac diuitijs: iccircò criſtas erigis: tranſuerſo amicos humero deſpicis: admonitiones atq; caſtigationes ferre minimè potes.

IX. Sed iſta omnia ego non curo.

X. Neq; enim conuenit ad delicta amicorum tacere, aut clauſis oculis in aliorum gratiam ab honeſtate & iuſtitia deflectere: aut denique ea probare quæ nemo laudare vir bonus poteſt.

XI. Neque minantis apud liberos, cordatos, prudentes authoritas eſſe magna, aut poteſt, aut

debet: cùm, vt trito dici prouerbio ſolet, minis nemo moriatur: nec, niſi pueri ac ſtulti moueantur.

XII. *Ego in te ita ſum animatus, vt non temerè ad vllas inimicitias aut ſimultates vocare te velim: magis etiam magisq́; inclareſcere cupiam.*

XIII. *Sed interim* Periclē *ſecutus:* μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμι: *pluriſque honeſtatem ac virtutem, quàm, vel tuam, vel cuiuſquam alterius amicitiam atq; gratiam æſtimo.*

XIIII. *Tu etiam atq; etiam videbis, quid agas: diligenterq́; cogitabis, cuiuſmodi exitus fuerint eorum, qui eadem, quæ tu, tentarunt.*

XV. *Deum ego* Opt. Max. *rogo: vt conſilia & tibi, & alijs,* Rei *deniq; publicæ toti ſalutaria tibi ſuppeditet. Vale.*

Ad hunc igitur modum Ciceroniana veſtigia ſecuti, minacibus aliorũ reſpondere literis poterimus: ita quidem, vt neque cauſam noſtram negligamus, neque modeſtiæ ac verecundiæ fines tranſgrediamur. Quòd enim ad præcepta attinet: non ſeorſim hîc & ſigillatim de iis agere neceſſarium ducimus: cum quæ in expoſtulationum & querelarum obſeruanda eſſe reſponſionibus oſtendimus, etiam hîc ſint adhibenda. Itaque his miſsis ad aliud, & poſtremum epiſtolarum genus aggrediemur.

DE

DE RATIONE CONTEXENDARVM EPISTOLARVM

Pars IIII.

FAMILIARIS, SEV EXTRAORDINARII GENERIS, ET PRIMÒ NVNCIATORIAS EPISTOLAS CONTINENS.

ABSOLVTIS iis epiſtolis, quę ad tria cauſarum pertinent genera, reliquũ adhuc quartum & poſtremum eſt genus familiare, ſeu extraordinarium: ad quod nunciantes, iocoſæ, prædicentes futura, ænigmaticæ, didaſcalicæ referri poſſe videntur. Nunciatoriis verò epiſtolis propterea primus eſt locus concedendus, quòd hæ omnium vſitatiſsimæ ſunt: neq; quiſquam tam inops ab amicis, à propinquis nudus, ab ho- *Nũciatoriæ ἐπαγγελτικαὶ epiſtolæ.*

minum conſortio & familiaritate remotus, qui non de iis quę acciderunt, certiores reddere alios interdũ neceſſe habeat. A natura quoque inſitum hoc eſſe videtur omnibus, vt nouis rebus delectentur. Ac tametſi epiſtolę tales faciles omnino, atque eiuſmodi eſſe putentur, vt vel præceptione, vel obſeruatione, vel imitatione nulla egeant: tamen cùm earum, quæ literis exponuntur, magna eſſe varietas ſoleat: vtile cum primis, imò neceſſariũ eſt, vt & hîc μέθοδος atq; via certa teneatur: & cùm alia, tùm verò obſcuritas maximè ac confuſio vitentur. Sumuntur autem hîc ſententiæ ex tribus potiſsimùm locis: adiunctis, teſtimoniis, comparatis. Et quidem ad adiuncta quod attinet: attributa illa & circumſtantias ſuppeditãt: temporis, loci, perſonarum, modi, conſiliorum, cauſarum, factorum, quæ in huius generis epiſtolis diligenter obſeruandę. Teſtimonia tum adhiberi ſolent, cùm ſcribendum aliquid eſt nobis, quod nouum, incredibile, atque inuſitatum eſſe videtur. Comparata autem exaggerandi & amplificandi gratia interdum vſurpantur, quoties ſcilicet non nudè tantùm ac ſimpliciter negotium aliquod exponendum,

Sententiæ in nunciatoriis epiſtolis obſeruandæ.

dum, verùm etiam, comparatione cum aliis facta, eiuſdem honeſtas, vel turpitudo: damnum vel commodum oſtendendum eſt. Motus verò in his, pro diuerſitate rerum, de quibus ſcribitur, variè eſt inſtituendus, & excitandus: vel miſericordiæ, in aduerſa, partim noſtra, partim aliorum fortuna: vel iræ, odij, indignationis: cùm res exponitur indigna, iniqua, atrox: vel amoris aut lætitiæ, quando quæ nunciantur grata, læta, iucunda ſunt. Vt contra τὸ πρέπον quoque & ἦθος nihil hîc agatur: opera danda eſt: primum, ne, quod prouerbio dici ſolet, ab ouo vſque ad mala res exponantur, & altius, quàm oportet, repetantur. Deinde, vt περιεργίας curioſitatis declinetur ſuſpicio, atque inſtitutæ ſcriptionis rationes ac cauſæ reddantur: deſumptæ ab officio noſtro: à rei neceſſitate, vtilitate, honeſtate, iucunditate & voluptate. Collocatio verò atque tractatio tribus partibus abſoluitur: quarũ prima eſt Exordium conſtans, vel inſtitutę ſcriptionis occaſione & cauſis. lib.3. epiſt. 5. lib.7.epiſt.33.lib.9. epiſt.6.lib. 10.epiſt.15. lib.11.epiſt.8.lib.16.epiſt.21. Vel expoſitione rei.lib.1.epiſt.2. 4.5 lib.7.epiſt.5.li. 10.

Sententiæ παθητικαὶ mouentes.

Sententiæ ἠθικαὶ morata & conciliantes.

Collocatio nunciatoriarum epiſtolarum.

Exordia nunciatoriarum epiſtolarum.

epiſt.30. lib.12. epiſt. 11.lib. 14.epiſt.5. lib. 16.epiſt.9.Vel excuſatione ſilentij,aut raritatis literarum. lib. 1. epiſt. 7. lib. 14. epiſt.6.Vel laude conſilij,inſtituti, facti,amici. lib.7. epiſt. 1.28. Vel noſtri officij & diligentiæ commendatione. lib. 5. epiſt. 6.lib.12.epiſt.25.Vel προλήψει occupatione atque inſinuatione in re aliqua triſti. lib. 4.epiſt.12.Vel ἀποδιώξει reiectione. lib.2.epiſt.5.Pars altera eſt Narratio,quæ ἀπαγγελίαν nunciationem atque expoſitionem continet.; factam notatione circumſtantiarum:Loci.lib. 1. epiſt. 1.4.lib.3. epiſt.5. lib.4..epiſt.12.lib.7.epiſt. 30.lib. 9.epiſt.6. lib.10.epiſt.15.30.lib.11. epiſt.10.14. lib.12. epiſt.25.lib.16. epiſt.9. Temporis.lib.1. epiſt.1. lib.4. epiſt.12.lib. 5.epiſt. 6.lib.7. epiſt.3.lib.11.epiſt.10. lib.16. epiſt.9. Perſonarum.lib.1. epiſt. 1.2.4.5.7.8. lib.4. epiſt. 12.lib.7. epiſt.1. lib.8. epiſt.14. lib.9. epiſt. 6.lib.10.epiſt.1.15.30.lib.16.epiſt.21.Modi. lib.4.epiſt.12.lib.7.epiſt.1.30.lib. 10.epiſt. 30.lib.11.epiſt.10.lib.12.epiſt.25. lib.14. epiſt.5.lib.16. epiſt.21. Conſiliorum. lib.3. epiſt.5.lib.4.epiſt.12.lib.7.epiſt.3.33.lib.8. epiſt.14. lib.9. epiſt.6. lib. 10.epiſt. 15. lib. 11. epiſt.14.lib.16.epiſt.21.Cauſarum.lib.1. epiſt.1. 2.lib.2.epiſt.28.lib.4.epiſt.12.lib.5. epiſt.

Narrationes.

epiſt.6 lib. 6.epiſt. 18.lib.7. epiſt. 3. 26. 28. 33.lib. 10. epiſt. 15. lib. 16. epiſt. 21. Factorum.lib.1.epiſt.1.2. lib.4. epiſt.12. lib.7. epiſt.3. lib.10.epiſt.15.lib.12.epiſt.25. Teſtimoniis quoque. lib. 6. epiſt. 18. Et comparatis.lib.4.epiſt. 12.lib.7.epiſt.1.30. lib. 8.epiſt.14. Pars tertia Concluſio abſoluitur: aut ἀξιώσει petitione : vt amicus nos expectet, vel conueniat certo in loco. lib.3.epiſt.5.lib.7. epiſt.4. obuiam nobis prodeat. lib. 14. epiſt. 5. mittat ad nos aliquem.lib.16.epiſt.21. reſcribat quàm primum.lib.7.epiſt.3.33. lib. 10.epiſt.1. de rebus nouis certiores nos faciat. lib. 15. epiſt.25. defendat contra alios nos, vel amicos. lib. 11. epiſt. 10. lib. 12. epiſt. 11. 25. Aut προτροπῇ adhortatione: vt Deo pro recuperata valetudine agantur gratiæ. lib. 14. epiſt. 7. cura geratur valetudinis. lib. 16. epiſt. 9. bona de rebus ſpes concipiatur. lib.1. epiſt.5. Aut expoſitione cauſarum inſtitutæ ſcriptionis. lib.7. epiſt.1.3. Aut pollicitatione ſtudij & promptę voluntatis. lib.1. epiſt. 1.2.4.7.8. lib.8. epiſt. 10.lib.9.epiſt.6.lib.10. epiſt.8. 15.lib. 12. epiſt. 25. Aut eiuſdem commemoratione. lib.4.epiſt.12.Aut conſilij & inſtituti noſtri ſignificatione. lib. 7. epiſt. 26. Aut re-

Concluſiones nunciatoriæ.

prehenſione amici ob ſilentium & tar
tatem literarum.lib.7.epiſt.26. Aut ἀναχ
φαλαιώσει dictorũ repetitione. lib.1.epiſt.
lib.7.epiſt.28. At excuſatione prolixitat
literarum. lib. 9. epiſt. 6. Aut præciſion
& reiectione.lib.7.epiſt.30. Aut extenu
tione modeſta officiorum ac ſtudiorur
lib.1.epiſt.4. Reperiuntur verò Ciceron
in Epiſt. fam. materię nunciatoriarum l
terarum variæ. De nuptiis liberorum.li
2.epiſt.14. Profectione & itinere. lib.3.
piſt.5.lib 7.epiſt.4.lib.14.epiſt.5.7.lib.
epiſt.9. Manſione in vrbe. lib. 6.epiſt.
Emptione.lib 5.epiſt.6. Venditione.li
14.epiſt.7. Vitæ ratione tẽpore belli inſ
tuta.lib.7.epiſt.3.lib.9.epiſt.6.li. 10.ep
15.lib.12.epiſt.25. Valetudine aduerſa. l
7.epiſt.26. Studiis.lib.7. epiſt.28.33.lib
epiſt.6.lib.16.epiſt.21. Colloquiis habi
cũ viris magnis.lib.11.epiſt.1. Rebus à
bis geſtis.lib.11.epiſt.10.lib.12.epiſt.11.
mici cauſa in Senatu acta.lib. 1. epiſt.
4. 5.7. Nece indigna ac miſerabili. lib
epiſt.12. Diſcordia magnorũ virorum.
8.epiſt.15. Statu Reipub. perturbato.
7.epiſt.30. Bello. lib. 6. epiſt. 18. lib. 1
piſt.14. Ludis & ſpectaculis. lib.7. epi
Prælio & conflictu lib.10.epiſt.30. N

Materia apud Ciceronem variæ nunciatoriarum epiſtolarum.

m

mitationis exempla tria proponemus: & quidem nunciationis inſtitutæ de rebus priuatis: ſed aliorum eſſe poterit, lib. 4. epiſt. 12. in qua S. Sulpitius Ciceroni de cæde M. Marcelli ſcribit. Partes illius tres ſunt: Principium, inſinuatione atq; occupatione factum propter materiam auditu parum iucundam ac lætam. Pars ipſa eſt ἐπαγγελία rei expoſitio, facta attributis, ſeu circumſtantiis: temporis, loci, cauſarum, perſonarum, modi. Tertia & poſtrema pars concluſio commemorationem habet officiorum Marcello demortuo præſtitorum. Hanc ergo imitati epiſtolam parentem de filij morte certiorem faciemus hoc modo.

Imitatio nũciatoriæ epiſtolæ, de rebus inſtitutæ priuatis, ſed alienis.

I. *Etſi ſcio, vir clariſſime, minimè iucundum me tibi nuncium allaturum: tamen, quoniā ita placuit ei, cuius imperio ac voluntati meritò noſtraq; omnia ſubijcere debemus, viſum eſt faciendum quoquo modo res ſeſe haberet, certiorem te reddere.*

II. *Ad decimũ Calend. Auguſti Baſilæam ex Italia quũ venirem, filium tuum conueni, eumq; ibi diem conſumpſi, vt cum illo aliiſq; meis popularibus eſſem.*

III. *Poſtero die cùm ab eo digreſſus eſſem, hoc conſilio, vt in Galliam irem, atque reliquam profectionem abſoluerem, ille, vti aiebat, rectà iturus in Italiam erat.*

III. *Paucos verò poſt dies, cùm* Argentinæ *comi-tes quoſdam expectarem, familiarium quidam a-me venit, mihique nunciauit, filium tuum cum ma-gnis itineribus* Patauium *cogitaret, in ardentiſſi-mam febrim incidiſſe, ita quidem, vt de vita pericli-tari videretur.*

IIII. *Quo ſanè nuncio, vti debui, perculſus ſum vehementer, intermiſſaq; profectione inſtituta, ſta-tim ad eum profectus ſum.*

V. *Cùm non longè eo ab oppido, in quo propter morbum ille ſubſtiterat, abeſſem: quidam cum lite-ris mihi obuiam venit, in quibus perſcriptum erat diem ſuum filium tuum obijſſe.*

VI. *Itaq; relictis medicamẽtis, quæ mecum ſum pſeram, ad oppidum illud perrexi, proq; ea copia quæ eſſe eo in loco poterat, funus ei ſatis honeſtum faciendum curaui.*

VII. *Intra oppidum in templo locum ſepultu-ræ vt darent, à* Magiſtratu *impetrare non potui: religione impediri ſeſe: neq; etiam peregrinis con-cedi illud dicerent.*

VIII. *Quod proximum ergo fuit, extra oppi-dum locum in polyandrio & cœmiterio commo-dum ſelegi: monumentum etiam aliquod facien-dum locaui.*

IX. *Ita, quæ quidem inter peregrinos præſtari officia filio tuo potui, pro communi patria & a-micitia veteri, demortuo præſtare conatus ſum.*

X. T

X. *Tu caſum hunc acerbum animo magno, & vt eum qui* CHRISTO *nomen dedit, feres.*

XI. *Etſi enim orbari filio, & filio vnico, & filio obſequente ſit luctuoſum: per quàm etiam graue illud: inter peregrinos, non domi eo orbari.*

XII. *Tamen ſacris literis edoctus, Domini eſſe terram omnemq́; eius plenitudinem noſti: ſcis vndique in cœlum tantundem viæ pijs animabus reſtare: vt neq; iſtud ignoras: repetiiſſe à te filium, qui ad tempus ſaltem fruendum eum tibi conceſſerat.*

XIII. *Ipſius deniq; filij te mouere pietas debet, vt pacato omnino ſedatoq; animo caſum hunc feras: qui, vt ex illis audiui, qui morienti ei adfuerunt, infractéq;, inq; ardenti filij Dei inuocatione ex hominibus abijt.*

XIIII. *Sed hæc, & alia ex eo qui haſce ad te perfert literas, copioſius intelliges: cui vt fidem habeas etiam atq; etiam rogo. Vale.*

Ad hunc igitur modum Ciceroniana veſtigia ſecuti de rebus priuatis, ſed aliorum, non noſtris, certiores reddere amicos poterimus. Quòd ſi de noſtris agere placuerit, exemplum egregrium eſt lib. 16. 21. in qua Cicero filius ad Tironem de ſuis ſtudiis, præceptoribus, exercitationibus, amicis & familiaribus ſcribit: oſtendit etiam in eo totum ſeſe & eſſe iam, & deinceps futurum: vt neglecta

Imitatio nunciatoriæ epiſtolæ, inſtitutæ de rebus priuatis, ſed noſtris, non alienis.

hactenus ſarciat, & bene Athenis tempus collocet. Partes illius tres ſunt: Exordiũ, in quo ſcribendi occaſionem & quàm ſibi gratæ, cùm parentis, tùm Tironis extiterint literæ Cicero indicat. Pars altera narratio eſt, in qua primum vitam ſuam priorem idem deteſtatur, & emendationem promittit: deinde prolixè de ſtudiis atq; exercitationibus ſuis ſcribit. Pars tertia concluſio petitione abſoluitur. Petit enim à Tirone, vt librarium aliquẽ græcum ſibi mittat, ne in exſcribendis hypomnematis nimium operæ ac temporis conſumère cogatur. Hanc ergo imitati epiſtolam demum ad præceptores, aut amicos de noſtris ſtudiis, lectionibus, exercitationibus, recreationibus ſcribemus hoc modo.

I. *Cùm literas ego veſtras, Præceptor obſeruande, expectarem quotidie, hiſce diebus ſerò illæ quidem, optatò tamen venerunt.*

II. *Ad ſummam enim lætitiam, quam ex humaniſſimi clariſſimiq; parentis mei epiſtola percepi, magnus tuis ex literis gaudij cumulus acceſſit: ex quibus intellexi, & excuſationem apud te meam locum inueniſſe, & curam te mei minimè abieciſſe.*

III. *Iucunda tibi atq; optata eſſe ea, quæ de me domum*

domum ab alijs ſcribuntur, minimè dubito: operam quoq; dabo, enitar, perficiam deniq;: vt, Deo conatus meos iuuante, naſcens hæc de meis ſtudijs ac moribus opinio præclara in dies magis magisq́; confirmetur.

IIII. *Quare quòd laudum mearum buccinatorem te fore ſcribis, mihi gaudeo: tibi, vti debeo, gratias ago: vt etiam firmo illud conſtantiq́; facias animo, etiam atq; etiam rogo.*

V. *Neque enim verbis ſatis exprimere poſſum, quanto me dolore ac cruciatu ſuperioris temporis errata afficiant, quamq́; non modò à factis, verùm etiam memoria animus nunc abhorreat.*

VI. *Iam demũ miſer in memoriam reuoco, & agnoſco ea, quæ diſcedenti mihi dixiſti: multis magnisq́; obnoxiã periculis adoleſcentiam, maximè eam eſſe, quæ ſtudiorum gratia ad Academias ablegatur: inſidias illi tendi plurimas: ad corrumpendũ parata, cùm alia, tùm exempla eſſe eorum, qui, non re, ſed nomine tantùm ſunt ſtudioſi: nec ornant, ſed deformant Scholas in quibus viuunt.*

VII. *Et vt ſeriò rem me agere intelligas: paucis vitæ atq; ſtudiorum meorum rationem accipe.*

VIII. *Nihil ego præpropera atq; intempeſtiua ad altiora ſtudia feſtinatione pernicioſius eſſe adoleſcentibus ex te ſæpè audiui: memini & dicti adhuc Platonici, quo vti crebrò es ſolitus: nimium feſtinando ſerius ad finem peruenire homines;*

IX. *Itaq; iuris atq; legum ita Profeſſores audio: vt ea interim non negligam, quibus vel ad humanitatem informari adoleſcentes ſolent, vel ad ſuperiores, vti vocant, facultates ſit aditus.*

X. *Et philoſophiæ partem eam, quæ de vita ac moribus, re etiam publica eſt tradita diligenter diſco: & hiſtoriarum mihi commendatam lectionem habeo: & his Dialecticorum præcepta adiungo: ita quidem, vt memor ſim eius quod apud Platonem Callicles monet: ad vſum, non contemplationem, aut cognitionem nudam ſtudia referenda eſſe.*

XI. *Quoniam etiam ſine eloquentia inanis omnino atq; infrugifera eſſe rerum cognitio ſolet, quæ in Cicerone explicantur, non ſolùm diligenter, aſſiduò, conſtanter audio: verum etiam ſcribendo dicendoq; ad vſum transferre conor.*

XII. *Atq; in his omnibus Plinij illud conſidero: legendi ſemper: audiendi nõ itidem occaſio erit: & quod Cicero quodam in loco ſcribit: ζώσης φωνῆς μείζων ἐνέργεια.*

XIII. *Ad mutos magiſtros, & priuatas lectiones quod attinet, ita eas inſtituo: vt antelucanas horas primas preces & ſacra Biblia obtineant: obtemperans mandato illi Filij Dei: Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius.*

XIIII. *Hæc ſubſequitur, quæ ad eloquentiam parandam ſummè neceſſaria, ſtyli exercitatio: &*

prece-

præceptoribus meis matutinis inſtituenda horis videtur: propterea quòd meridianæ, aut æſtu feruent, aut ſaturatos ventriculos reperiunt: veſpertinæ verò propter defatigationem ac laßitudinem languidum ſtylum reddunt.

XV. *Reliquas horas Profeſſorum lectiones publicæ occupant, ad quas tamen nunquam accedo, niſi antè, & explicata repetierim: & ſæpè diligenterq; locum legerim eum, qui in Schola explicandus eſt.*

XVI. *Horam eam, quæ prandium antecedit, corporis exercitio, & vel deambulatiunculis modicis, vel pilæ ludo tribuo: atque ita, non quidem famem obſono, aut ad cibum me præparo; qui, vt noſti, tenuis, non lautus eſſe in Scholis conſueuit: ſed valetudini partim conſulere, partim ad capeſſenda ſtudia alacriorem reddere animum cupio.*

XVII. *Magnum enim crudorum humorum copiam accumulare, & ſcabiem, morbum ordini Scholaſtico admodum familiarem, accerſere eos ſibi medici noſtri affirmant, qui ſtatim à cibo ſumpto corporis exercitia inſtituunt.*

XVIII. *Et quia eodem tempore ad ſtudia redire pernicioſum quoque iidem iudicant; priùs quàm pomeridianæ in Schola inchoentur lectiones, aut teſtudine me oblecto: aut pauliſper meridior: aut contubernalium & familiarium colloquijs me reficio.*

XIX. *Vtor enim συσσίτοις & συσκήνοις adole-ſcentibus, non loco modò honeſto natis, verùm etiam doctis, & præceptoribus meis cum primis gratis & acceptis: quibuscum de ſtudiis aliisq; rebus iucundè vtiliterq; colloquor.*

XX. *Profeſſores quoque non rarò accedo: atq; inde verum eſſe experior illud, quod quadam in epiſtola Seneca ſcribit: nullam rem magis honeſta induere dubiosq; & in prauum inclinantes ad rectum reuocare, quàm bonorum virorum cõuerſationem: frequenter audiri atque aſpici paulatim in pectora deſcendere præceptiq; vim obtinere: eſſe denique aliquid, quod ex magno viro, vel tacente, quis diſcat.*

XXI. *Familiaritati & amicitiæ quorundam ego renunciaui, propterea quod διαρρήδην pater ſcripſerat, vt eos miſſos facerem: ne mea hac in re tergiuerſatio aliquam ei ſuſpicionem moueret.*

XXII. *Tandem non ſtatim à cœna, ſed vnius ad minimum horæ ſpatio interpoſito & recreatiunculis adhibitis honeſtis, in cubiculum me cum confero, antequàm quieti me ac ſomno dedam, memor illius:*

> *Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum*
> *Omnia quàm longi reputauerit acta diei.*

quid eo die audierim, legerim, viderim cogito.

XXIII. *Et vbi boni patresfamilias accepti atq; expenſi habere tabulas ſolent: ita ephemerides ego*

ego & volumina habeo; in quæ obſeruatu digna refero.

XXIIII. *Tandem ſacrorum bibliorum lectione piiſq; ad Deum votis diem claudo.*

XXV. *Habes vitæ ac ſtudiorum meorum rationem; à qua non ante recedere conſtitui, quam vel à te, vel aliis viris doctis melior mihi commodiorq; monſtrata fuerit.*

XXVI. *Te commodè adhuc cum familia tota valere: florere gratia & authoritate: emere hortos, ædes, prædia, vehementer gaudeo: feliciterq; cùm hæc, tùm alia omnia euenire tibi cupio.*

XXVII. *Cum etiam quod prætereà ſcribam non habeam, ipſaq;, vt vides, charta deficere me incipiat, vnicum hoc tantum peto; vt, quod facis, abſentem me tuo dignum amore atq; patrocinio iudices: literis quoq; meis, ſatis fortè verborum, at parum ingenij doctrinæq; habentibus ignoſcas.*

Ita non incommodè ad Ciceronis imitationem de ſtudiis & rebus noſtris priuatis inſtitui nunciatio poterit. Reſtat rerum publicarũ expoſitionis exemplum vt proferamus: cuius egregiũ, lib. 2. epiſt. 5. ſuppeditat, in quà Curionem Cicero de Reipub. ſtatu certiorem facit. Partes illius tres ſunt. Exordium, in quo, quia nõ ſatis videbatur tutum de publicis rebus ſcribere, reiectione expoſitionis Cicero

Imitatio nũciatoriæ epiſtolæ inſtitutæ de rebus publicis.

vtitur. Narratio, in qua rectè & occultè miſerabilem idem Reipub. ſtatum exponit: ita etiam debilitata omnia ac propè extincta eſſe affirmat: vt dubitet, vtrum, cum venerit Curio, habiturus ſit quod curet. Concluſio προτρεπτικῇ adhortatione eſt facta: vt ea paret, meditetur, cogitet, quæ neceſſaria iis qui miſeris temporibus, ac perditis moribus opem ferre Rebuſpub. cupiunt. Hanc ergo imitati ad adoleſcentem, ſtudiorum gratia peregrinantem, de patriæ ſtatu miſerabili ſcribemus, hoc modo.

I. *Petis à me, vt de patriæ tuæ ſtatu certiorem meis te literis reddam.*

II. *Facerem equidem hoc lubenter, ſi ſine periculo fieri illud poſſe viderem.*

III. *Sed profectò eo ſeſe modo res nunc habent omnes: vt ne epiſtola quidem narrare tibi, ne dum nunciis atque tabellariis committere audeam: qui quàm ſint rimarum, vt ille ait, pleni, maximè vbi vino incaluerint, factiq; fuerint hilaruli, multi ſæpe, non ſine ſuo damno experiuntur.*

IIII. *Hoc vnum accipe: etſi, quod prouerbio dicitur, patriæ fumus igni ſit alieno luculentior, eáque viro bono nihil eſſe poßit iucundius: tamen, quod à tua iam abes, tibi verè & ex animo gratulor.*

V. Neq;

V. Neq; enim ea vides vel audis, quæ nos, qui adſumus, videre & audire quotidie non ſine magno dolôre cogimur.

VI. Deinde eo in loco res eſſe tuas, nec obſcuro, nec vario ad nos ſermone perfertur: vt vix meliori eſſe poſſe videantur.

VII. Quod enim ita vitæ tuæ ſtudiorumq; rationem inſtituis: vt iucundus ſit condiſcipulis: gratus præceptoribus: acceptus iis quorum tecto menſáq; vteris: ſpe tui magna omnes impleas eos, qui de ingeniis iudicare aliquid poſſunt: in felicitatis, crede mihi, haud poſtrema parte reponendum eſt.

VIII. Vt autem nunc patriæ tuæ eſt ſtatus, vehementer profectò metuo, ne ſi domum aliquando veneris, non dignum aliquem ingenio, doctrina, virtute locum inuenias.

IX. Omnia enim extincta propè nunc iacent: ſilent leges: exulat iuſtitia: diſciplina collapſa eſt: literæ earúndemq; cultores nullo, aut perquàm exiguo ſunt numero.

X. Verùm & hæc neſcio rectè ne tutòq; ſatis ſint literis credita.

XI. Itaq; ex aliis plura te audire, quàm meis cognoſcere literulis malo.

XII. Tu tamen hac de cauſa, nihil interim de diligentia in ſtudiis remittes: ſed ea parabis, meditaberis, cogitabis, quibus inſtructos paratoſq; eos

eſſe oportet, qui miſeris hiſce ac ferè conclamatis temporibus opis aliquid atq; auxilij Reipub. *ferre Chriſtianæ cupiunt.*

XIII. *Etſi fortè locus tibi in patria nullus contigerit, de eo Poetæ cogitabis:*

Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor:
Et volueri vacuo quicquid in orbe patet. Vale.

De ratione reſpondendi ad aliorum literas nunciatorias.

Iam verò ad rationem reſpondendi aliorum literis nunciatoriis quod attinet, etſi varietas hîc magna reperiatur, ideóq; certa aliqua via & μέθοδος tradi commodè poſſe non videatur: tamen adhibita diligenti apud Ciceronem παρατηρήσει obſeruatione, etiam hoc in genere epiſtolarum cuiuſmodi, cùm ſententiæ, tùm tractationes vſurpandæ apparebit. Primum enim oſtendendum: quo apud nos loco ſit nunciatio: quo nos illa modo affecerit: atque rei illiús ratio habenda, quæ per literas nunciatur: ita quidem, vt, ſi grauis ea atque atrox extiterit, ira, odium, indignatio: ſi, vel nobis, vel noſtris, vel Reipub. aduerſa, miſericordia: ſi iucunda, læta, grata, χαρὰ gaudium, lætitia, voluptas indicetur. Deinde, quoniam motus iſti non nudè tantum exponendi, verum etiam rationes eorundem adferendæ ſunt; ex cauſarũ loco ſenten-

Sententiæ reſponſionum ad literas nũciatorias.

tiæ

tiæ ducendæ, quibus rei expoſitæ honeſtas aut turpitudo: commodum aut detrimentum; iucunditas, aut moleſtia oſtendatur. Ex adiũctis tertio, modi, loci, temporis, perſonarum aliarumq́; circumſtantiarum conſideratio petenda. Poſtremo ex loco comparatorum collatio depromenda, planumq́; faciendum, cur magis quàm alij ex re illa, quæ nunciatur vel lætitiam & voluptatem, vel dolorem & triſtitiam percipere debeamus. Conciliandi quoque hîc minimè ratio negligenda, ſed inſtituenda ea: vel collaudatione amici, cuius in ſcribendo gratum nobis eſſe officium oſtendemus: vel gratiarum actione, & ὑποσχέσει pollicitatione ſimilis officij: vel ſignificatione animi moderati & cauſæ, lætitię, aut triſtitiæ ex re nunciata perceptæ. Collocatio talis erit, vt prima pars Exordium conſtet: ἐπαίνῳ laude & cõmendatione prudentię, humanitatis, ſuauitatis literarũ amici. lib. 2. epiſt. 13. 15. lib. 7. epiſt. 28. Aut ἐπαναλήψει repetitione breui eorum quæ ab amico ſcripta. lib. 9. epiſt. 15. lib. 11. epiſt. 24. Aut gratiarum actione. lib. 14. epiſt. 8. Pars altera Propoſitio ἔπαινον laudationem & ἀποδοχὴν approbationem habebit eius

Collocatio & tractatio ſententiarũ.

quod nunciatur. lib. 9. epiſt. 5. Vel repre
henſionem atque improbationem, lib.
epiſt. 8. Vel obteſtationem. lib. 8. epiſt. 1
Pars tertia rationes complectetur, ſum
ptas: à cauſis. lib. 2. epiſt. 8. lib. 7. epiſt. 1
28. lib. 9. epiſt. 15. lib. 11. epiſt. 24. Aut adiu
ctis & circumſtantiis: modi. lib. 2. epi
15. lib. 14. epiſt. 8. Loci. lib. 7. epiſt. 28. Tem
poris ibid. Factorum. lib. 2. epiſt. 13. Con
ſiliorum ibid. Aut comparatis. lib. 7.
piſt. 28. lib. 11. epiſt. 24. Pars quarta & po
ſtrema Concluſio abſoluetur: ὑποσχέ
pollicitatione aduentus. lib. 2. epiſt. 1
auxilij. lib. 11. epiſt. 24. Vel noſtræ volu
tatis declaratione. lib. 2. epiſt. 13. lib. 9.
piſt. 15. Vel ἀξιώσει petitione: vt poſthac,
quid acciderit noui certiores nos am
cus reddat. lib. 14. epiſt. 18. Sunt autem
lium reſponſionum variæ Ciceronis
epiſtolis famil. materiæ. Reſponſion
ad nunciationes de rebus vrbanis. lib.
epiſt 8. Supplicatione. lib. 2. epiſt. 15. Am
citia ac familiaritate certorum. lib. 2.
piſt. 13. lib. 7. epiſt. 15. Ratione belli tem
pore inſtituta. lib. 7. epiſt. 29. lib. 8. epi
16. Valetudine. lib. 9. epiſt. 15. lib. 16. epi
12. Auxiliis belli tempore paratis. lib. 11.
piſt. 24. Literis ab amico miſsis. lib. 1.
epi

Materiæ reſponſionum ad epiſtolas nũciatorias.

epiſt.8. Reipublicæ ſtatu perturbato. lib. 7. epiſt. 28. Eſt egregia Bruti ad Ciceronem epiſtola 4. reſponſio ad nunciatoriã de victoria ab hoſtibus reportata, quam exprimere conabimur; vbi imitationis exemplum, in reſpondendo aliorũ nunciationibus, de rebus inſtitutis priuatis, propoſuerimus. Sumemus autem lib. 7. epiſt. 15. in qua Cicero Trebatio reſpondet, qui de rebus ſuis priuatis eum certiorem fecerat, & inter alia ſcripſerat: libenter ſe cum Cæſare eſſe: in familiaritatem quoque C. Matij hominis doctiſsimi veniſſe. Partes illius tres ſunt. Exordium, amoris ac beneuolentiæ ſignificatione conſtans. Narratio, in qua exponit Cicero, quomodo lectis Trebatij literis affectus fuerit. Concluſio πρὸς τί adhortatione facta: vt magnorum virorum gratiam ac fauorem retinere idem ſtudeat. Hanc ergo imitari ad amicum in Academia aliqua degentem ſcribemus, eiusq; nunciatoriæ epiſtolæ reſpondebimus hoc modo:

Imitatio reſponſionis ad epiſtolas nunciatorias de rebus priuatis inſtitutas

I. *Vide, obſecro, quanto te amore complectar, quamque ea in re querulus planè & μεμψίμοιρος ſim.*

II. *Aegrè ante moleſteq; ferebam, te permuitum*

à patria abeſſe, & in Academiis viuere: nunc tua me abſentia vexat.

III. *Caue enim credas, iucundum hoc mihi auditu extitiſſe, commendatione te mea, qua aditum tibi ad viros doctos patefacere ſum conatus, non vſq; adeo delectari: ſed, & quod de Iſraelitis ſacræ literæ referunt, domum ſemper cogitare.*

IIII. *Nunc illud rurſus me pungit; quod libenter te eſſe in Academia, nec de patria cogitare amplius ſcribis.*

V. *Sed tamen hoc ego ferre malo, quàm te hic nobiſcum viuere, neq; conſequi ea poſſe, ad quæ pleno te curſu contendere iam audio.*

VI. *Quod verò in clariſsimorum & doctiſsimorumq; virorum familiaritatem iam veniſti, dici non poteſt, quanta me illud lætitia ac voluptate afficiat.*

VII. *Principibus, inquit ille, placuiſſe viris, non infima laus eſt.*

VIII. *Et hac de cauſa Romanos, homines prudentiſsimos, legimus filios ſuos doctorum ac præſtantium virorum vti conſuetudine voluiſſe: vt eorum non tam ſermone erudito, quàm exemplis informarentur: niterentur conſiliis: præſentia, à ſceleribus & peccatis deterrerentur.*

IX. *Itaq; operam da ſedulo, ne quam apud tantos viros collectam iam gratiam atq; beneuolentiã habes, aut negligentia in ſtudiis, aut diſſolutione in vita ac moribus effundas.*

X. Ni-

X. *Nihil, crede mihi, ex iſta profectione reportare domum poteris, quod, vel iucundius nobis, vel tibi honorificum atq; vtile magis futurum ſit.*

Vt verò etiam reſponſionis, ad publicarum rerum nunciationes, imitatio inſtituatur, 4. Bruti ſumemus, in qua Ciceronis ille nunciatoriæ epiſtolæ de victoria ab Antonio reportata, reſpondet. Eſt enim egregia illa epiſtola & præcepta continet pulcherrima, de adhibẽda moderatione, cùm in victoriis, tùm honoribus eorum, qui præclarè in Rempub. animati de eadem quoque non malè meriti videntur. Partes illius quatuor ſunt. Exordium, ἐπαναλήψει repetitione literarũ factum, & ſignificatione lætitiæ ex iiſdem perceptæ. Propoſitio ἔπαινον collaudationem atque approbationem habens eius, quod nunciatur. Confirmatio, in qua Brutus moderatè vtendum victoria, nec etiam nimium tribuendum Auguſto oſtendit: ſimul quoq; contra eos ſeſe defendit, à quibus, vt nimium lenis reprehendebatur. Concluſio, quæ rerum quarundam priuatarũ ſignificatione abſoluitur. Hanc igitur ἀντιχαρικὴν epiſtolam imitari conabimur hoc modo.

Imitatio reſponſionis ad epiſtolas nũciatorias de publicis rebus inſtitutas.

I. *Quanta ſim lætitia affectus cognitis rebus ducum & militum noſtrorum, tibi iudicare facilius, quàm mihi ſcribere eſt.*

II. *Cùm alia ex animi eueniſſe ſententia gaudeo: tùm illud quod ſociorum eruptio ad reportandam victoriam adiumento maximo fuit.*

III. *Quod verò de atroci pœna eorum ſcribis, qui in prælio ſunt capti, ſi, quid ego ſentiam, ſcire cupis: moderatè victoria vtendum: eos quos occidere res non coegit, nec crudeliter tractandos, nec etiam diſſolutè remittendos, ſed in poteſtate retinendos veſtra exiſtimo, ne quid moliri contra vos queant.*

IIII. *Quantopere Athenienſibus in Aeginenſes, Scioneæos, Samios deuictos ſæuitia nocuerit: quàm propter crudelitatem in Platæenſes & Thaſſæos puniti fuerint Spartani atrociter, hiſtoriæ teſtantur.*

V. *Neque recentia, ac propè adhuc ſpirantia mihi exempla deeſſent; niſi iam ante nota ea tibi eſſe ſcirem.*

VI. *Vt & illa, quæ de recipiendis in gratiam iis, qui agnito ſuo errore ad noſtram miſericordiam confugiunt, in ſacris literis leguntur.*

VII. *Mea quidem opinione multò ad eorum, qui à vobis ſunt abalienati, conciliandos animos conſeruandamq́; quietem ac tranquillitatem publicam, eſſet accommodatius: miſerorum vos fortu-*

nam

nam non inſectari, quàm nimium iis tribuere, qui ſemel bene, fortiter, feliciter rem geſſerunt.

VIII. *De me vt loquar, ingenue fateor: vehementer me metuere: ne altius aſcendiſſe ſe veſtri duces putent, quam inde, pace iam facta, deſcenſuri ſint.*

IX. *Tum demum quoq; & patriæ meæ gratulabor, & prudentiam laudabo veſtrám, cum non hoſte modò, verum etiam conducto milite liberatos vos eſſe, ducesq; veſtros ſtipendiis contẽtos domum rediiſſe audiero. Vale.*

DE DENVNCIATORIIS EPISTOLIS.

DEnunciatoriȩ epiſtolæ, quæ προῤῥητικαὶ appellantur à græcis, ſunt, in quibus quaſi futura prædicimus, deque iis, quæ imminere videntur, certiores amicos reddimus. Quàm proximè igitur ſuperius proximũ epiſtolarum genus hoc accedit: ab eodem tamen differt, quòd ibi præterita exponuntur: hîc verò, quæ futura indicantur. Etſi autem, vt lib. epiſtolarum famil. 6. epiſt. 4. Cicero ſcribit, de futuris rebus ſemper difficile eſt dicere: tamen interdum coniectura poſſumus propius accedere, cum eiuſmodi res eſt, cuius exitus prouideri queat. Et idẽ

Sententię in denunciatoriis epiſtolis obſeruãdæ.

lib. 6. epiſt. 6. futura ſe denunciare affirmat, non ex Aſtrologia, ſed politica doctrina, vſu, experientia, rerum ac temporum conditione. Nec nos quidem, inquit, noſtra diuinatio fallet, quam tùm ſapientiſsimorum virorum monumentis atque præceptis plurimoq; doctrinæ ſtudio: tùm magno etiam vſu tractandæ Reip. magnaq; noſtrorum temporum varietate conſecuti ſumus: cui quidem diuinationi hoc plus confidimus, quòd ea nos nihil tam obſcuris rebus tamq; perturbatis vnquam omnino fefellit. Itaq; ſententiæ in hoc epiſtolarum genere ſumentur, primum ex adiunctis, & circumſtantiis perſonarum, loci, temporis, modi, cauſarum. Deinde teſtimoniis, & iudicio hominum cõmuni: rumoribus qui ſparguntur: noſtris etiam ſuperioribus prædictis. Tum comparatis & exemplis aliorum. Sed quia hominis parum prudẽtis, aut modeſti eſſe videtur, de futuris velle ſcribere, quę ἐν γούνασι, vel ille ait, ſunt Dei: opera quoq; danda eſt, ne temerè ac ſtultè, ſed moratè atque decorè agere videamur. Fit aũt hoc quatuor potiſsimũ modis. primo genere orationis: ſi ſcilicet non ἁπλῶς ſimpliciter & aſſeuerando, ſed

Sentẽtiæ denunciationũ ἠθικαὶ moratæ & cõciliantes.

aut

aut ὑποθέσει conditione, aut ἐνδοιάσει dubitatione quadā de futuris ſcribamus. Secundo θεραπείᾳ mitigatione, vel ante vel poſt adhibita eademq; oſtendamus, non nos affirmare hîc quicquam, ſed coniecturis ſolum quibuſdam niti. Tertiò μεταστάσει τῆς αἰτίας cauſæ remotione: cum indicamus, non temerè hîc nos aliquid aſſerere, ſed noſtras coniecturas ſcribere, vel ab amico rogatos, vel etiam quod exiſtimemus eundem dolore impeditum de illis cogitare minimè poſſe. Poſtremò εὐχῇ voto & precatione: ſi adiiciamus: futura in Dei Opt. Max. ſita eſſe manu: eundem nos rogare: vt vates vanos atq; falſos nos eſſe velit. Verùm neque motus hîc erunt negligendi, ſed duo potiſsimum excitandi: metus, & ſpes ſeu confidentia. Non enim propterea futura denunciantur, vt de iis certior ſolum amicus reddatur: verum vt, vel bene ſperet ac confidat, rerum bonarum prædictione: vel contra metuat, denunciatione malorum & periculorum, quæ propè adeſſe: & non ad alios tantum, ſed ad ipſum quoque pertinere amicum videantur. Collocatio atq; tractatio conſtat, primum Exordio, quod habet vel ſilentij excuſationem, lib. 6,

Sententiæ παθητικαὶ mouentes.

Collocatio denūciatoriarum epiſtolarum.

epiſt.6.vel beneuolentię atque ſtudij declarationem.lib.6. epiſt. 5. vel ſcribendi occaſionem.lib.6.epiſt.4.Deindè Narratione, quæ expoſitionem complectitur τῶν ἐκβησομένων πραγμάτων, rerum quæ euenturæ ſunt : at non nudam atque ſimplicem; ſed continentem ea, quæ veriſimilem denunciationem & προθεσπισμὸν vaticinationem reddunt. Cuiuſmodi ſunt attributa & circumſtantiæ: Perſonarum. lib.6.epiſt.4.5.6. Temporum.lib.6.epiſt. 5.6.Locorum.ibid. Rerum.lib.6. epiſt.4. Cauſarum. ibid. Secundò teſtimonia & iudicia hominum. lib. 6.epiſt.4.5.6. Poſtremò exempla noſtra vel aliorum.lib. 6.epiſt.6.Pars tertia & poſtrema Concluſio abſoluitur : aut adhortatione ad animi magnitudinem.lib.6.epiſt. 4. Aut officiorum atque ſtudiorum delatione. lib. 6.epiſt.5.6. Aut præciſione, & prolixitatis excuſatione. lib. 6. epiſt. 4. Sunt autem res ac materiæ, quæ in denunciatoriis epiſtolis apud Cic. reperiuntur. Prædictio & denunciatio de belli ciuilis exitu.lib.6.epiſt.4.Reditu in patriam lib. 6. epiſt. 5.6. Maximè verò huius generis exempla egregia epiſtolę ad Atticum ſuppeditant, in quibus Cic. Reip. tempore pericu-

Materiæ denunciatoriarum epiſtolarum.

periculoſo, de rebus grauiſsimis cum Attico egit: nec geſta ſolum expoſuit, verum etiam futura prædixit. Talis lib. 8. epiſt. eſt 11. in qua de Cæſare & Pompeio Cic. ſcribit: quid vterque ſpectet: quæ inde ſint in Repub. euentura mala exponit: cauſam etiam cur illud ſcribat, reddit. Et eiuſdem 21. vbi ſignis ac teſtimoniis, tùm à Cæſare, tùm Pompeio metuenda non pauca indicat. Et lib. 9. epiſt. 2. in qua Cicero oſtendit quænam ſibi mala & incommoda reformidanda, ſiue Pompeium ſecutus, ſiue in Cæſaris profectus caſtra fuerit, ſiue otium petierit. Et lib. 14. epiſt. 9. in qua de periculis vrbi metuendis agit. Et eiuſdem 24. vbi bellum idem prædicit. Nos exercitij cauſa, lib. 8. ad Attic. 21. imitari conabimur, propterea quod præ cæteris elegans illa eſt, & malorum Reipub. impendentium προῤῥήσιν denunciationem habet. Partes illius tres ſunt: principium ἀπολογικὸν, in quo cauſas Cic. reddit, cur & breuius, & non ſua, ſed librarij manu ſcribat. Narratio, futurorum malorum προῤῥήσιν prædictionem continens, confirmatam, partim municipalium teſtimoniis, partim circumſtantiis. Concluſio χετλαστικὴ, indi-

Imitatio denunciatoriæ epiſtolæ.

gnatione facta. Hanc ergo imitati epiſtolam de malis & incommodis futuris certiorem reddemus amicum hoc modo.

I. *Inualetudinis meæ ſignum tibi ſit, aliena manus, eademq́; breuitatis cauſa: etſi, verum vt fatear, etiam quod ſcribam, non iam occurrat.*

II. *Auidè tabellarios expectamus quotidie: μετάρσιοι nos ſuſpenſos atq; anxios reddunt rumores qui ſparguntur: licet capite adhuc illi careant: nonnullis quoq; facti videantur raudiuſculi.*

III. *De futuris verò rebus etſi perquam difficile ſit aliquid affirmare: tamen paucula ad te nunc ſcribam: idq́; non temeritate quadam, ſed rationibus, non opinor, vſq; adeo contemnendis, adductus.*

IIII. *Populum* πολυκέφαλον θηρίον, *multorum capitum belluam veterum quidam appellat: Cicero inconſtantia, varietate, & crebra, tanquam tempeſtatum ita ſententiarum laborare commutatione queritur.*

V. *Itaq; vehementer metuo, ne ei, qui primò fortè ſeſe offerat, exercitui adiungat: atque ita non ſe modò ſuosq́; perdat: verùm etiam eandem ſecum in calamitatem alios pertrahat.*

VI. *Si vrbes aliquot & arces dux occupauerit, pacis ſpes dubia erit: ſin tempeſtiuè alter exercitum tranſportarit: peſtiferum atq; luctuoſum nos bellum habituros intelligo.*

VII. *Sed videſne quàm cauti, vigilantes, & in omnes*

omnes occaſiones intenti ſint homines?

VIII. *Si paulò mitius atq; clementius dux ille quoſdam tractarit: ſi nihil cuiquam ademerit: iam expedita erunt, & aperta ei omnia: diligetur maximè ab ijs, quibus inuiſus antè fuit.*

IX. *Multus hac de re cum multis mihi ſermo eſt: de re nulla niſi agris, villulis, nummulis ſuis ſoliciti ſunt: pedibus alia trahi omnia facilè ſinunt.*

X. *Iam etiam eos, in quibus auxilij præſidiiq; ſpem fixam ac locatam habebant, metuunt: quos oderant & timebant, in amore habent: ferunt in oculis: in cœlum vſq; laudibus euehunt.*

XI. *Hæc dum fiunt, ad futura prædicenda, non ſomniis, non alitis volatu, aut oſcinis eſt cantu opus.*

XII. *Apud Comicum quidam de oppido munito interrogatus, illud munitum probè ſibi videri; reſpondet, in quo incolæ benè ſint morati: perfidia, peculatus, auaritia, exulent: hæc niſi abfuerint, ne centuplicem quidem murum ad res ſeruandas ſufficere affirmat.*

XIII. *Et oraculis edocti diuinis nouimus quænam ſint illa, quæ Rerumpublicarum atq; Imperiorum præcedere ruinam ſoleant.*

XIIII. *Itaq; rogandus eſt Deus Optimus Maximus, vt Eccleſiæ ac innocentum miſereatur: monendi ij, quorum res agitur, vt poſthabitis omnibus alijs, quæ pacis ſunt quærant. Vale.*

DE ÆNIGMATICIS EPISTOLIS.

Aenigmaticarum Epiſtolarum vtilitas.

AEnigmaticæ epiſtolæ appellantur, in quibus aliud ſcribimus: aliud verò intelligimus. Videtur autem vitioſum hoc eſſe epiſtolarum genus, propterea quòd non præſtat id, cuius gratia epiſtolæ inuentę: neque abſenti amico ita mẽtis ſenſa cogitataq; explicat, vt, quid velimus, intelligere ille queat. Sed & ſuas, easque minimè contemnendas vtilitates iſtud habet: modò rectè & artificioſè adhibeatur. Primùm enim ad docendum accommodatæ ſunt epiſtolæ ænigmaticæ: quia hominis animum acutè, nec ſine voluptate erudiunt: & vt in Sole iter facientibus gratæ iucundæque eſſe vmbræ ſolent: ita in epiſtolis conſcribendis ſuam obſcuritas interdum laudem inuenit: vbi ingenij & doctrinæ tincta notis fuerit. Deinde neceſsitas ſæpè nos cogit, vt obſcurè ac tectè, non apertè atque perſpicuè ea in epiſtolis exponam9, quæ cum aliquo coniuncta periculo eſſe videntur. Hinc illud Ciceronis lib. 2. ad Atticum, epiſt. 19. Scripſi ad te hæc mehercule timidè. Poſthac ſi perfidelem habebo

bebo cui dem, ſcribam planè omnia: aut ſi obſcurè ſcribam, tu tamen intelliges. In his epiſtolis me Lælium, te Furium faciam: cætera erunt ἐν αἰνιγμοῖς. Et in ſequenti 20. De Republica breuiter ad te ſcribam: iam enim charta ipſa ne nos prodat, pertimeſco. Itaque poſt hæc, ſi erunt mihi plura ad te ſcribenda, ἀλληγορίαις obſcurabo. Conſtare autem ęnigmaticæ epiſtolæ ſententiis debent, non ſimplicibus, ſed iis, quas βαθείας græci, profundas appellant: quia reconditæ ſunt, & varium ſenſum adferunt: aliud verbis indicant, aliud re ipſa complectuntur: non denique, niſi ab ingenioſis, acutis, doctis intelligi poſſunt. Et adhibendæ ſunt tranſlationes atque allegoriæ crebræ: & vocabula, quæ ambiguam atque incertam ſignificationem adferunt. Poëtarum quoque fabulæ & ſententiæ: aut aliorum acuta & obſcura dicta aſſumenda: quemadmodum Ciceronem videmus, in epiſtolis ad Atticum multa epitheta Homerica: collationes perſonarum, quibus ſuos dynaſtas cum Homericis heroibus confert: verſus quoque integros vſurpare. Verùm opera hìc danda: vt parcè, non continuò ænigmatica ad-

Sententiæ in ænigmaticis epiſtolis adhibendæ.

hibeantur: & adhibeantur tum, cùm vel neceſsitas, propter periculum flagitat: vel, propter eruditionem & acumen, voluptas atque delectatio requirit. Deinde tractatio ita instituenda, vt natiua, propria, aperta, aut præponantur, aut ſubiungantur, aut immiſceantur: atque ita ab iis epiſtolæ ſeparentur, in quibus proprium ac perſpicuum nihil reperiri ſolet. De collocatione verò ſeorſim vt agamus, neceſſe minimè habemus. Quoniam enim plerunque ænigmaticis vtimur tum, cùm de rebus certis certiorem reddere amicum volumus: eadem hîc collocatione eſt, ac tractatione vtendum, quæ in nunciatoriis epiſtolis notata fuit. Sunt autem materiæ huius generis epiſtolarum paucæ in familiaribus: multæ ac variæ in iis, quas ad Atticum Cicero ſcripſit, hominem doctum & amicum intimum: & tempore ſcripſit Reipublicæ admodum periculoſo. Vt lib. 1. epiſt. 15. vbi tectè Cicero de adulterio agit cuiuſdam Cai cum Luculli vxore, & illum quidem Paridem, hunc Menelaum vocat: & de togula picta Pompeij: & piſcatoribus, Lucullo, Hortenſio, L. Philippo, qui abiecta Reipub. cura, de piſcinis ſuis ſoliciti erant.

Collocatio et tractatio ſententiarum.

Materiæ ænigmaticarum epiſtolarum.

erat, lib. 2. epiſt. 9. vbi de Clodio, Pompeio, Reipublicæ etiam ſtatu obſcurè, quædam atq; ænigmaticè ſcribit: & Clodij ſororem βοώπιδα appellat, imitatione Homeri, qui hoc epitheton Iunoni tribuit: & Hieroſolymarium Pompeium à captis Hieroſolymis: per dynaſtas Cæſarem ac Craſſum: per tritonas delicatulos quoſdam intelligit, qui nihil niſi piſcinas ſuas curabant, lib. eodem epiſt. 21. in qua quo Pompeij res ſint in loco indicat obſcurè, cùm decidiſſe eum ex aſtris ſcribit. Et epiſt. 23. vbi rurſus Pompeium & Clodiũ notat: & quidem illum Sampſiceramum, hunc pulchellum nuncupat. Præ cæteris autem egregiæ ſunt, quæ lib. 7. & 8. extát, proptereà quòd ſcriptæ illæ ſunt belli ciuilis tempore de Pompeio, Cæſare, & aliis, quos apertè reprehendere minus tutum erat. Itaque obſcurè, tectè, atq; ænigmaticè eos Cicero perſtringit, & quid in illis deſideret indicat. Eſſe & commendatæ lib. 14. epiſtolæ debent, quas poſt Cæſaris necẽ de Antonio & eius ſectatoribus Cicero ſcripſit: vbi valdè periculoſum erat apertè illa vituperare, quæ contra morem atque conſuetudinem maiorum in Republica fiebant, ac gerebantur.

Sunt huius generis in epiſtolis familiaribus. lib. 10. epiſt. 28. & lib. 12. epiſt. 4. in quibus obſcurè Cicero cõqueritur, quòd non cum Cæſare vnà quoque Antonius interfectus ſit. Nos exercitij cauſa lib. 8. epiſt. 25. & poſtremam imitari conabimur, in qua Cicero de perturbato Reipublicæ ſtatu ad Atticum ſcribit: Pompeium accuſat: optimates reprehendit: quò fugere conſtituerit, ſubobſcurè indicat. Partes illius tres ſunt. Exordium inſtituti conſilij ſignificatione conſtans. Narratio, in qua & mœrorem ſuum Cicero indicat, & de iis, quæ fiebant, conqueritur. Concluſio præciſione facta, cuius vſus maximè in dolore atque triſtitia indicanda. Sententiæ eſſe tales poterunt,

Imitatio ænigmaticæ epiſtolæ.

I. *Omnia parata prouiſaq; eſſe videntur, præter iter tutum.*

II. *Quò enim animus ſpectat: vocant amici: eò venire propter pericula non audeo.*

III. *Celeriter verò cedendum mihi eſſe video: niſi moram nectendo in hoſtium venire manus, & extrema quæq; experiri velim.*

IIII. *Accedunt huc hominum ſermones, quibus, vt audio, apud viros bonos innocentem me nonnulli conſcindunt: nulla, opinor, de cauſa alia, quam quòd feram illi ſecum alunt, cuius non diuturnæ*

turna eſſe vita ſolet, niſi nutrimenta aliena commoda ſuppeditarint.

V. *Qui illi ſint, ſcribere non audeo, ne ſtyli pœnas luam:* θυμὸς γὰρ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων. χόλος δ' οὐκ ἀλίθιος.

VI. *Miræ iam fiunt* ἀπαντήσεις*: res planè conuerſa: colunt, & ferè vt Deum aliquem adorant, quem Vatiniano antè odio proſequebantur.*

VII. *Sed, vt vt res ſeſe habeant,* αἰδέομαι τρῶας*: & rectà ad eos proficiſcar, quorum meliorem eſſe cauſam video.*

VIII. *Hoſtes* φιλιππίζουσι*: argenteis haſtis pugnant.*

IX. *Plura ad te nunc ſcriberem, niſi dolor me impediret: calamum præterea è manibus excuteret is, quem nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit. Vale.*

DE IOCOSIS ET FACETIS EPISTOLIS.

IOcoſæ, ſeu facetæ epiſtolæ nominantur, in quibus ſuauiter cum amico iocamur, eundemque lepore & vrbanitate, aut voluptate atque delectatione afficere: aut reprehendere & accuſare: aut admonere officij conamur. Eſt enim magna huius generis epiſtolarum vis atque vtilitas: & hilaritas, vrbanitas, acumen, *Facetarum epiſtolarum vtilitas.*

beneuolentiam ſcribenti conciliant: & multa quæ apertè admonendi aut caſtigandi gratia ſcribi nequeunt, iocis eiuſcemodi commodè proferuntur: eleuantur denique atque diſſoluuntur non pauca, quæ argumentis frangi ac refutari nõ poſſunt. Ac tametſi Cæſar libro de Oratore ſecundo naturæ, non artis eſſe facetias affirmet: tamen & natura iuuatur bona arte atque obſeruatione, &, quod admodum in iocis difficile, intra quaſi ſepta & cancellos continetur. Et Cicero quadã ad Volumnium epiſtola oſtendit, quibuſnam potiſsimùm ex locis petendi ioci ſint. Pugna, inquit, ſi me amas, niſi acuta ἀμφιβολία: niſi elegans ὑπερβολὴ: niſi παράγραμμα bellũ: niſi ridiculum παρὰ προσδοκίαν: niſi cætera quæ ſunt in ſecundo libro de Oratore per Antonij perſonam diſputata de ridiculis ἔντεχνα, & arguta apparebunt, vt ſacramento contendas mea non eſſe. Sumũtur ergo in facetis & iocoſis epiſtolis ſententiæ, primùm ex loco notationis: ab ἐτυμολογίᾳ, interpretatione atque explicatione vocabuli: ὁμωνυμίᾳ, verbi ambiguitate: εἰρωνείᾳ, diſsimulatione: ἀλληγορίαις & translationibus crebris. Deinde ex Adiunctis, & circumſtan-

Sententia facetarum epiſtolarum.

ſtantiis, loci, perſonarum, temporis, modi, cauſarum, quæ occaſiones iocis præbent. Tertio Teſtimoniis & ſermonibus partim hominum, partim ſententiis ac dictis præclarorum virorum, in quibus ſingularis eſſe voluptas atque delectatio ſolet. Quarto Comparatis, quæ exempla ſuppeditant, & narrationes, ſiue veræ illæ, ſiue fictæ atque fabuloſæ extiterint. Quemadmodum verò ſententiæ tales, decorè moderateq; adhibitæ, plurimum venuſtatis & delectationis habent: ita ſi τὸ ἦθος ac πρέπον decorum negligatur, offendere maximè alios: ſæpe etiam per iugulum ipſis ire ſcriptoribus ſolent. Verum quoque eſt quod Poëta ſcribit: riſu inepto res nulla ineptior eſt: nec cuiuis datum eſt naſum habere. Decorum autem illud conſiſtit primò in perſonis, quibus cum iocari volumus: ne inſignes illæ nimis, aut tales ſint, vt ſi contrà ſcribamus, ipſæ proſcribere nos poſsint. Deinde in rebus, quæ iocos & ludos admittunt. In improbitate enim, aut miſeriis & calamitatibus facetiæ non probantur. Tertiò in quantitate: ne nimis frequentes ſint: ſed parcè atque moderatè adhibeantur. Vnde Cicero [illegible]

Sentẽtiæ facetarum epiſtolarum ἠθικαὶ conciliātes & monentes.

præciſione plerumque vtitur, & ἐπιθεραπείᾳ mitigatione: & in fine ſeria ſubiungit: cauſam etiam indicat, cur cum amico iocatus fuerit. Poſtremò in qualitate: ne obſcœnæ, petulantes, improbæ: contra pietatem & honeſtatem, mores bonos ſint facetiæ. Collocatio verò & tractatio tribus partibus conſtat: quarum prima Exordium habet, vel lætitiæ & voluptatis ex amici literis perceptæ ſignificationem. lib. 9. epiſt. 20. Vel rei futuræ προῤῥησιν denunciationem. lib. 9. epiſt. 23. Vel beneuolentiæ, amoris, ſtudij declarationem. lib. 7. epiſt. 7. Vel occaſionem inſtitutæ ſcriptionis. lib. 7. epiſt. 10. 11. 12. 14. Vel accuſationem ac reprehenſionem amici. lib. 9. epiſt. 24. lib. 12. epiſt. 29. lib. 15. epiſt. 16. Vel ſilentij excuſationem. lib. 7. epiſt. 13. Vel prouerbium commune. lib. 7. epiſt. 16. Pars altera Narratio, ſententias continet facetas & vrbanas, petitas: à notatione vocabuli. lib. 7. epiſt. 13. Ambiguitate. lib. 7. epiſt. 11. 16. lib. 9. epiſt. 24. Ironiis. lib. 1. epiſt. 10. lib. 7. epiſt. 7. 10. 12. 16. Allegoriis. lib. 7. epiſt. 10. Aut adiunctis & circumſtantiis Loci. lib. 7. epiſt. 7. 10. 16. lib. 8. epiſt. 7. lib. 9. epiſt. 26. Perſonarum. lib. 7. epiſt. 11. 13. 16. lib. 8. epiſt. 7. lib. 9. epiſt. 20. 23.

Collocatio & tractatio ſententiarum.

Exordia facetarum epiſtolarum.

Narrationes.

20.23.26.Temporis.lib.9.epiſt.24.Cauſarum.lib.7.epiſt.14.18.Modi.lib.7.epiſt.11.18.lib.9.epiſt.20. Rerum.lib.7. epiſt.11.12. Aut teſtimoniis.lib.7.epiſt.16.lib.9.epiſt.5. Pars tertia & Poſtrema Concluſio abſoluitur: vel ἀποσιωπήσει præciſione.lib.7. epiſt.10.13.14.lib.8.epiſt.7.lib.12.epiſt.20. Vel excuſatione, & cauſarum inſtitutæ ſcriptionis expoſitione. lib.15. epiſt.16. Vel ſignificatione noſtræ voluntatis paratæ ac promptæ. lib.7. epiſt.11. Vel petitione, vt ad nos veniat amicus.lib.1.epiſt.10.lib.9.epiſt.18. nos amet.lib.7. epiſt.14. Vel προτροπῇ adhortatione.lib.7.epiſt.12.13. lib.9.epiſt.4.20.23.26. Sunt autem huius generis epiſtolarum Ciceronis in Epiſt. famil. materiæ multæ ac variæ: & habent narrationes iucundas & facetas de vita voluptuaria, ac conuiuiis lautis. lib.9. epiſt.18. 20. 26. amoribus parum honeſtis. lib.8.epiſt.7. Aut reprehenſiones vrbanas arrogantię & inſcitiæ.lib.1.epiſt.10.lib.7. epiſt.10.16.timiditatis.lib.7.epiſt.10.dogmatis inepti atq; abſurdi.lib.7.epiſt.12. lib.15.epiſt.16. ſilentij ac raritatis literarum.lib.7.epiſt.14.hoſpitij cõtempti.lib.12.epiſt.20. Aut adhortationes ad opes parandas.lib.7.epiſt.7.17.conditionẽ reti-

Cõcluſiones.

Materiæ iocoſarum epiſtolarũ variæ apud Ciceronem.

nendam honeſtam, non mutandam temerè. lib.7. epiſt.11. amicorum amandos conuictus & cœnulas: lib. 9. epiſt. 24. Aut laudationes ſapientię in belli vitandis periculis, atque opibus parandis. lib. 7. epiſt.16. parſimoniæ. lib.7. epiſt.18. Aut refutationes. lib.7. epiſt.13. Et hac obſeruata diſtinctione in magna iocoſarum epiſtolarum varietate, melius ac facilius imitatio inſtitui poſſe videtur. Nos exercitij gratia lib. 9. epiſt. 20. imitari conabimur, in qua ad Papirium Pætum Cicero ſcribit, Epicureum ſe factum, nec, vt antè, cœnulis mediocribus contentum eſſe, ſed opiparis ac lautis delectari. Itaque eundem hortatur, vt cùm famelicum ſit & delicatulum hoſpitem habiturus, probè culinam inſtruat. Partes illius ſunt: Exordium, ſignificatione conſtans lætitiæ ac voluptatis ex literis Papirij perceptæ. Narratio, in qua vitæ ſuæ rationem Cicero exponit, & facetè admodum atque vrbanè; quàm ſit delicatulus oſtendit. Concluſio adhortatione facta: ne in tali excipiendo hoſpite ſumptibus Papirius parcat. Hanc igitur imitati, feſtiuè cũ amicò iocabimur: & quomodo excipi ab illo tractariq; velimus, indicabimus hoc modo.

Imitatio iocoſæ & vrbanæ epiſtolæ.

I. Du-

I. Dupliciter tuæ me literæ delectarunt: & quod riſi ipſe ſuauiter illis lectis: & quod te intellexi, ſeueritate depoſita Stoica, ridere iam poſſe, & habere hilarius.

II. Illud interim doleo, venire me ad te, vti conſtitueram, per occupationes non potuiſſe. Diutius enim apud te manſiſſem, & non hoſpes, ſed contubernalis tuus factus fuiſſem.

III. Neq; verum eum nunc me eſſe exiſtimes, quem tu aliquando, aut pulmento, aut iuſculo, aut lardo, aut minutali conficere es ſolitus.

IIII. Diſplicet Hecales cœna; non Pythagorica probatur, terreſtris, & oleribus ſaltem conſtans: valere etiam Platonicam iubeo: quæ multum fabularum, parum verò cibi habet.

V. Omnis generis cupedias amo: eas vt conſequar, diligenter conuiuia aliorum aduentitia, viatica, collatitia, viſcerationes etiam obſeruo: adeo ſæpe inuocatus, eaq; in re Apitium & Philoxenum imitor, qui nunquam triſtiores fuiſſe dicuntur, quàm cum domi ſunt cibum capere coacti.

VI. Quin & integram famem, & ἀδηφαγίαν adfero ad lactucam, aut offam: & ad aſſas vſq; carnes atq; bellaria produco, & cum Hercule mihi aut Pharſaliis, aut Bœotis negotium eſſe puto.

VII. Quid vis amplius, omni cura atque cogitatione de ſtudiis aliiſq; rebus ſeriis abiecta in Epi-

curi me caſtra contuli, & voluptate vitæ huius metiri fœlicitatem cœpi.

VIII. *Itaq; loculos tuos omnes excutias, culinã etiam atq; cellam vinariam probè inſtruas neceſſe erit: hoſpitem multi, non ioci ſed cibi & potus habebis: & qui iam quàm ſit ſuaue atq; iucundum ſaliarem in modum epulari didicit.*

IX. *Noſti autem opinor, quàm inſolenter ſuam oſtentare artem* ὀψιμαθεῖς *ſoleant.*

X. *Dediſcendæ tibi erunt ſportellæ: remouendæ bubulæ atq; ouillæ carnes: apuæ, alburni, aſelli arefacti, haleces, ſiue conditaneæ illæ, ſiue paſſæ infumatæq; fuerint: perdices iam, phaſiani, attagenæ placent: ſalares, ſalmones, gouij, troctæ, murænulæ, & mulli barbati ſapiunt.*

XI. *Ne ſiticuloſum quoq; atq; aridum ſit conuiuium: vinum apponatur, aut fugiens, aut aceſcens, aut pendulum, aut operarium, ſed generoſum & nobile curabis: quod oculis colore: odore naribus: palato ſapore placeat: auribus etiam fama commendetur.*

XII. *Hæc enim mea nunc eſt vita: amicos meos crebro ſaluto: hilare cum illis ſuauiterque viuo: caperata atque rugoſa domi relicta fronte: memor illius:*

Protinus ante meum quicquid dolet exue limen.

XIII. *Reliquum tempus ambulatiunculis, ludis, aut quieti tribuo.*

XIIII.

XIIII. *Sed operam da: vt, & valeas, & domi reperiaris: ne ego te, vel iacente, vel, quod fieri interdum audio, adeſſe nolente, bona tua comedim: cùm ſtet ſententia minimè tibi parcere. Vale.*

Quod ſi verò etiam laudationis ironicæ habere exemplum placeat, egregium eſt lib. 7. epiſt. 16. in qua ob ſapientiam in bellicis fugiendis periculis & acquirendis opibus Trebatium Cicero laudat. Partes illius ſunt. Exordium, à prouerbio ductum, quod in eos vſurpari ſolet, qui ſerò & poſt damnum aliquod ſapiũt. Narratio, in qua Trebat. Cic. dum commendare videtur, ſalsè deridet. Hanc nos imitari conabimur hoc modo.

I. *Serò ſapiunt Phryges, trito de iis ſermone dicitur, qui Epimethei, non Promethei ſunt: nec, niſi damnò aliquo accepto ſapiunt.*

II. *Verum tu non ſerò, ſed maturè ſatis mihi ſapere videris.*

III. *Primùm enim in aulam te bonis, quod aiunt, auibus contuliſti, rebusq; tuis præclarè & citò proſpexiſti.*

IIII. *Deinde fabulæ alienæ ſpectator fuiſti, & cum caſtra alij ſequerentur, tu domi interea, quaſi in hybernis manſiſti, neque loco te moueri paſſus es.*

V. *Atque hoc poſtremum perquam mihi placet:*

quia pacis omnino amans: ſtudioſus concordiæ: à vi atq; armis alienus eſſe videris, idq; præclarè intelligis: nihil foris prodeſſe arma: niſi tui ſcilicet ſimiles, viri prudentes ſint domi, qui ſuis conſilijs alios regant, atq; videant, ne quid detrimenti Reſpub. patiatur.

VI. *Vbiq; ſapere ita oportet: in ſapientia ſolà optimum firmiſſimumq; præſidium eſt poſitum.*

VII. *Ego ſi triſti domicœnio laborarem: familiari tuo, qui aliquoties iam me inuitauit, obſecutus fuiſſem.*

VIII. *Homo bellus planè atq; elegantulus, & dignus eſſe videtur, qui non in ſchola inter triſtes ac melancholicos, ſed vobiſcum in aula, atq; cum politis hominibus viuat: præſertim cum in κωπηλλομαχίᾳ ſatis ſit fortis ac ſtrenuus.*

IX. *Qui iſtinc veniunt, bene te nummatum: ſed ſatis interim ſuperbum eſſe affirmant, ita vt non facilè alicui ad te aditus pateat, niſi cataphractos aliquos, quibus reſiſtere difficile, ſecum adduxerit.*

X. *Sed rectè, & ad authoritatem retinendam accommodatè, facis.*

XI. *Noſti enim illud vulgare: nimia familiaritas contemptum parit.*

XII. *Cum etiam nemo eo in loco, in quo nunc degis, te doctior ac ſapientior reperiatur, cur ita te velis vilem reddere, non profectò video.*

XIII. *Sed*

XIII. *Sed hæc noſtro more inter nos iocati ſumus.*

XIIII. *Tu me, quod facis, amóre proſequeris: ſimul etiam illud in memoriã reuocabis: quo quiſq; doctior, eò humanior eſſe debet. Vale.*

De ratione reſpondendi ad aliorum iocoſas & facetas literas.

Atque hæc de iocoſis & facetis epiſtolis ſint dicta. Quoniam autem non minor eſt virtus aliorum iocis atq; facetiis reſpondere, quàm cum aliis feſtiuè per literas iocari: etiam reſpondendi tenendaratio erit, quæ duplex eſt. Vel enim laudamus aliorum εὐτραπελίαν feſtiuitatem & vrbanitatem: vel contrà improbamus ac reprehendimus. In laude atque approbatione iis ex locis ſumendæ ſententiæ erunt, de quibus paulò ante in facetarum epiſtolarum inuentione dictum fuit. Quæcunque enim ibi in iocando ſententiæ adhibentur: & quò ad ἦθος ac decorum obſeruantur: eæ in reſpondendo quoque laudari atque commendari ſolent. ψεκτικαὶ verò reprehendentes ſententiæ ex contrariis locis ducentur: ita quidem, vt ioci ac facetiæ vituperentur, in quibus nihil, vel ambiguitate, vel verbi interpretatione, vel allegoria, vel aliàs elegans ac venuſtum: nihil etiam aptum & decorum deprehenditur,

Collocatio reſponſionũ ad literas iocoſas.

Collocatio deinde in his ita inſtituetur: vt prima pars Exordium breuem acceptarum literarum ἐπανάληψιν, repetitionem habeat: altera Narratio allatarum facetiarum, vel laudem atque approbationem, vel reprehenſionem & vituperationem cõtineat: tertia & poſtrema Concluſio petitione, vel adhortatione aliqua ſeria abſoluatur. Vtriuſque generis, & eius, quo aliorum in ſcribendo vrbanitatem laudamus, & quo reprehendimus atque improbamus, exemplum eſt egregium lib. 7. epiſt. 32. in qua ad Volumniũ Cicero ſcribit: & quidem primò eius feſtiuitatem ac vrbanitatem laudat. Deinde, quia illius nomine dicta quædam circumferebantur inſulſa & inepta, quibus quaſi notis à ſuis illa debeant diſtingui, oſtendit. Partes illius tres ſunt. Exordiũ ab occaſione ſcribendarum literarum ſumptum. Narratio, in qua facetiæ partim laudantur, partim vituperantur. Concluſio προτροπῇ adhortatione facta: vt crebrò ſcribat Volumnius, & Dolabellam confirmet. Hanc igitur imitati iocoſæ amici epiſtolæ reſpõdebimus hoc modo.

Imitatio reſpõſionis ad epiſtolas iocoſas.

I. *Quod prænomine omiſſo familiariter, vti debebas, ad me ſcripſiſti: dubium me primò reddidit,*

à te

à te ne, aut alio aliquo literæ illæ eſſent.

II. *Poſtea verò quàm legere eam cœpi: ſtatim ex ipſa vrbanitate & feſtiuitate, qua condîtæ illæ fuerunt, intellexi, tuas, non alterius alicuius eas eſſe.*

III. *Fuerunt enim omnia faceta, iucunda, feſtiua: præ ſe ingenium acutum, politum, doctum tulerunt: πρεπόντως adhibita fuerunt cuncta.*

IIII. *Theſibæo, crede mihi, more & ἀσυμβόλως cœnare poſſes: ita tua amabilia ſunt grataq; dicta: faciunt quoque, vt multò magis quàm ante eos improbem, qui vētris ſolum gratia quæuis in quoſuis dicteria iaciunt: & dum ridiculi nimium eſſe volunt: non niſi propter inſulſitatem atque ineptias ridentur.*

V. Ego, *vt ſæpè ex me audiuiſti, ea maximè dictorum probare genera ſoleo, quæ ſunt: aut ambiguitate acuta: aut ὑπερβολῆς elegantia: aut bella agnominatione: aut quia præter expectationem allata, ridicula: aut aliis modis, de quibus dicendi agunt magiſtri, concinna, lepida, arguta.*

VI. *Hæc quia tuis in literis reperi: meritò eas amo: vtq; eius generis ad me plures mittas, etiam atq; etiam rogo.*

VII. *Nam de iis, quæ in vrbe iam fiunt, quod quereris, non multum laboro.*

VIII. *Noſtros nos labores facetiis atque iocis condiamus, & Anacharſidis ſecuti ſententiam ita*

παίζειν ludere & iocari ſtudeamus, vt σπουδάζειν res agere ſerias queamus.

IX. *De amico vero noſtro communi quæ ſcripſiſti, etſi eſſent ridicula, vt ſunt reuera: tamen riſum mouere mihi minimè poſſent.*

X. *Quid ita inquies? quia cum vnicè illum amem, etiam grauitati ſtudere, & quam ſuſtineat perſonam, paulò cogitare diligentius velim.*

XI. *Neq; enim duo cum dicant faciántve idem: idem videri ſolet: & quæ præcelſo ſunt in loco poſita, occultari facilè nequeunt.*

XII. *Illud præterea Poetæ placet;*

——tunc obſeruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi——
——nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

XIII. *Tu occaſione data aimcè eum hac de re monebis.*

XIIII. *Et quia literarum tuarum ſermonem gratum mihi atq; iucundum eſſe intelligis, ſæpiſſimè ad me ſcribes. Vale.*

DE DIDASCALICIS EPISTOLIS.

Didaſcalicæ Epiſtolæ appellantur in quibus amicũ artem, virtutem, aut rem aliquam aliam docemus. Et eſt hoc

genus

genus epiſtolarum vſitatum cum primis inter parentes, præceptores, amicos, qui ſæpe eos quos charos habent per literas erudiunt, aut iiſdem errorem eximere aliquem conantur. Eſt autem & inueniendi & collocandi hîc ratio facilis atq; expedita: propterea quod finis nobis iſte ſolum eſt propoſitus, vt amicum doceamus. Itaq; ſententiæ erunt, ex notatione, definitione, partibus, cauſis, effectis, pugnantibus quæ in docendo locum maximè habent. Interim tamen opera danda: vt τὸ ἦθος & decori ratio non negligatur: ſed ita doceatur: vt non ex ambitione quadam, aut ingenij, vel doctrinæ oſtentatione, ſed amici rogatu, vel alia aliqua honeſta de cauſa illud fieri videatur. Collocatio & tractatio ita eſt inſtituenda: vt initiũ à narratione fiat, inq; eadem cauſæ inſtitutæ ſcriptionis indicentur: pars altera propoſitio ὑποσχέσει pollicitatione conſtet, qua promittemus amico, libenter nos, ſed breuiter διδασκαλίαν, quã petierit inſtituere velle: pars tertia ipſam doctrinam cõtineat, iis ex locis de quibus modo dictum, petitam; ita quidem vt à nomine & definitione initio facto poſt ad reliquos locos progreſsio fiat:

Vtilitas didaſcalicarũ epiſtolarum.

Sententiæ in didaſcalicis epiſtolis adhibendæ.

Collocatio didaſcalicarũ epiſtolarum.

pars quarta concluſio, vel petitione, vel adhortatione, vel repetitione abſoluatur. Nam & cauſæ inſtitutæ διδασκαλίας nonnunquam repetendæ: & ſimul amicus monendus, vt eam ſibi commendatam habeat: aut etiam rogandus: vt paucula atque tenuia illa, quæ ſunt allata, boni conſulere velit. Ad res verò & materias quod attinet: etſi puræ apud Ciceronem epiſt. didaſcalicæ non facilè reperiantur: tamen ſunt, in quibus breuiter quæſtiones ille certas explicat: vt de Epicureorum dogmate. lib.7. epiſt.12. In valetudine & cauſis morborum. lib.7. epiſt.26. Orationis genere. lib.9. epiſt.21.22.26. Nos quia finem imponere tractatui huic conſtituimus, exercitij gratia didaſcalicam epiſtolam, de ipſa epiſtola proponemus, & methodum illam ſequi conabimur, q̃ in didaſcalicis eiuſcemodi obſeruanda epiſtolis videtur, hoc modo.

Materiæ didaſcalicarũ epiſtolarum.

I. *Petis à me, vt de epiſtolis ad te quædam perſcribam.*

II. *Etſi verò dubium mihi non ſit vllum, quin & hæc & alia plura ex præceptoribus tuis audire poßis quotidie: nec multa me ſcribere ſinant occupationes illæ, quibus diſtrictus nunc diſtentusq́; teneor: tamen vt ad tua ſtudia prouehenda atque iuuanda*

uanda promptũ me paratumq́; eſſe cognoſcas: morem tibi geram.

III. *Eſſe à mittendo dictam epiſtolam, idq́; nomen à Græcis ad Romanos manaſſe, notius eſt, quàm vt probatione longa egeat.*

IIII. *Definitionem verò eiuſdem ſi requiras, nihil epiſtola eſt aliud, quàm colloquium ſeu ſermo ad abſentes de re ad alterum eorum pertinente.*

V. *Vt autem præſentium cum præſentibus non eadem, ſed varia eſſe colloquia conſueuerunt: ita & epiſtolarum, quibus cum illis qui abſunt, ſermonem conferimus, genera multa ac diuerſa ſunt.*

VI. *Quæ, vt mea quidem fert opinio, non incommodè tribus dicendi comprehendi generibus poſſunt: ita tamen vt quartum his commune ſeu familiare adiungatur, quod eas epiſtolas complectitur, quæ ad tria illa non referri commodè poſſe videntur.*

VII. *Rectè verò atque artificiosè epiſtolas vt contexamus, τέχνη ars, & dicendi doctrinæ neceſſaria cognitio eſt: & παρατήρησις obſeruatio eorum, quæ in Cic. aliorumq́; clarorum virorum epiſtolis reperiuntur: & μίμησις imitatio, atque exercitatio diligens & aſsidua.*

VIII. *Qua in re iudicio magno eſt opus.*

IX. *Non enim rectè feliciterq́; illi Ciceronem imitantur, qui phraſes tantum certas & verborum floſculos colligunt: ſed qui totam epiſtolæ alicuius*

formam ob oculos ſibi conſtituunt: rei qua de agitur naturam diligenter conſiderant, & cum illa quam tractare ipſi volunt, conferunt: eandem liberè, non ſeruiliter: occultè, non apertè exprimere conantur: vel ordinis immutatione, vel dilatatione, vel contractione, vel aliis modis, qui κρύψει occultationi inſeruiunt, & cùm à dicendi magiſtris traduntur, tùm in Ciceronis aliorumq; ſcriptis deprehenduntur.

X. *De vtilitate verò epiſtolarũ quid multa nunc me ſcribere neceſſe eſt: ad te præſertim, qui non legiſti modò Ciceronis epiſtolas diligenter; verùm etiam in ſuccum atque ſanguinem conuertere eaſdem didiciſti: ad parentes, præceptores, mecœnates, amicos ſcribis creberrimè?*

XI. *Si verum eſt, vt eſt, quod ad Curionem Cicero ſcribit: inuentas propterea epiſtolas eſſe vt iis certiores amicos reddamus, ſi quid eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum interſit: ſi nihil ferè in rebus reperitur humanis, quod epiſtolis non committatur: ſi nihil dulcius & ſuauius, quàm cum eo, qui etiam longè à nobis abeſt, quaſi præſente poſſe colloqui noſtráque conſilia communicare: ſi nemo in orationibus conſcribendis felix eſſe poteſt, niſi in contexendis epiſtolis diu ante multúmque exercitatus fuerit: quis eſt, qui non quàm longè lateq; earundem ſeſe proferat cùm vtilitas, tùm oblectatio intelligit?*

XII.

XII. *Habes meam de epiſtolis ſententiam breuiter indicatam : quæ vti ſpero, tibi quoque probabitur.*

XIII. *Sin verò aliud forte viſum tibi fuerit, amici tamen fungi me voluiſſe officio ſtatues, eoq́; nomine, quæ ſunt allata, grata habebis.*

XIIII. *Quicquid autem, & in hoc genere ſtudij, & aliis inſtitueris:* id Deus Optimus Ma-*ximus vt fortunet, ex animo precor.*

Vale.

FINIS.